



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Pars II. Tractans Isagogen Porphirii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



PARS II.

TRACTANS ISAGOGEN PORPHYRY.

PROLOGUS.



TRACTATUS hic utilissimus, sed & est difficilis, qui Dialecticorum studio in grandem excrevit sylvam; plura tamen necessario fuere fusius tractanda, idq; hic, & non in Metaphysica ut nonnulli sunt opinati; nam ad Syllogismum conficiendum potissimum faciunt universales propositiones, quæ sine cognitione universalium (nam tractatus hic aliàs de universalibus intulatur) minus claræ erunt, & magis ambiguae, per plerumq; reddentes animum ignorantis universalia. Notandum autem Tractatûs de Universalibus Authorem non esse. Aristotelem, sed Porphyrium, ut titulus positus præ se fert, Fuit autem hic Porphyrius proprio nomine dictus *Malchus*, cognomine *Porphyrius*, natione Phœnix, Tyrius patria, seu ut Baronius tom. 2. suorum Annalium asserit, natione Judæus, Bathaniæ, quæ est Judææ Civitas, natus, Religione quondam Christianus: sed postmodum à fide Apostota; doctrinâ non tam Aristotelicus, quam Platonius vixit Aureliano, & Diocletiano deinde Constantino Imperatoribus, Præceptores habuit Plotinum & Langium Criticum, Condiscipulum Originem, Auditorem verò inter alios Chrysaorium Patritium Romanum, cujus rogatu hoc opus edidit; nam cum Chrysaorius Cathedras, seu Prædicamenta Aristotelis legeret, & frequens mentio generis, speciei & differentiae incideret, quæ verba non intelligens Porphyrium ut sibi has quinque voces explicaret rogavit: Cui assentiens licet tunc ut testantur Connimb. apud Lilibæum Siciliae Promontorium in Æthnæ ignis historia componenda occuparetur, præsens opus edidit, intitulans illud Isagogen, idest: Introductionem ad Aristotelis Prædicamenta, quod opus licet ab Authore impio editum, permittit Ecclesia ut sequi possit; ob cujus utilitatem etiam illud hic, cum communiori, omisis variis Authorum opinionibus de objecto hujus tractatûs, examinabo. Sit igitur ad DEI Gloriam.

DISPUTATIO I. DE UNIVERSALIBUS IN COMMUNI.

Solent nonnulli *Tractatum hunc remittere ad Metaphysicam, ad quam proprie existimant spectare agere de naturis rerum; alii e contra aliquid tractant hic de universalibus, & aliquid in Metaphysica, inter quos est Mastrius & Bellutus, qui de universalibus in predicando agunt in Logica, in Metaphysica de universalibus in essendo, Verumtamen quia universale in essendo, est fundamentum universalis in predicando ex eo quod natura humana est in Petro Paulo &c. predicatur de illis, hinc ne nimiam faciam materiarum discretionem hic non modo de Logico, verum etiam Metaphysico agam, nam facilius Logicum cognoscetur, si universale in essendo debite fuerit præcognitum, quoniam e contra ignotato fundamento ægrius capitur, quod supra illud fundatum est, sit igitur Ad Universalis Cause gloriam.*

QUÆSTIO I.

Quid & quoruplex sit universale?

Universale ex eo dicitur & derivatur

quia dicitur ordinem ad multa, hinc quia pluribus modis aliquid potest dicere ordinem ad multa: ideo multis quoque modis universale accipi potest; nam primo dividitur universale, in *incomplexum & complexum*, hoc dicitur aliqua propositione ex qua multæ aliæ propositiones deduci possunt, *omne bonum est amandum; non sunt multiplicanda entia sine necessitate; non debet fieri per plura quod potest fieri per pauciora &c.* Universale incomplexum est aliquid unum, quod esto non sit propositio, dicit tamen ordinem ad plura, ut *animal, homo, brutum &c.* & tale universale incomplexum (vocatur etiam simplex) quadruplex est: aliud enim est in *causando* aliud in *significando*, aliud in *essendo*, & aliud denique dicitur in *predicando*: *Universale in causando* sunt omnes causæ quæ notæ sunt causare plures effectus, talis universalis causæ est *Deus* super omnia benedictus, *Cæli, sol, &c.* qui multos effectus sublimares producant. *Universale in significando* seu representando est illud quod potest plura significare, vel præsentare, sic *cometa*, qui plures morbos & effectus varios impendentes & imminentes pronuntiant, *vores sive scriptæ, sive probatæ*, quia plura significant universalialia in significando vel representando vocantur. *Universale in essendo* sunt naturæ quæ existunt in pluribus inferioribus ut *homo & equus*: sunt enim res communes & suis singularibus unitæ, nam in *Petro & Paulo* verè est *natura humana*, in *Bucephalo, & Xantho* est *natura equina*, quæ vocantur etiam universalialia *Metaphysica*, in quantum videlicet naturam rerum considerare est *Metaphysici, materiale, fundamentale & primæ intentionis*, Et est adhuc duplex, *Remotum* scilicet & *Proximum*; *Universale Metaphysicum remotum* est ipsa natura existens in suis singularibus cum sua unitate formali, verbi gratiâ *natura humana* quæ est in *Petro*, vocatur universale *Metaphysicum remotum*: *Universale Metaphysicum proximum* est natura ipsa exuta sua hæcitate & differentiis & induta unitate præcisionis, verbi gratiâ si *natura humana* quæ est in *Petro*, & hæcificata concipiatur per intellectum sine hæcitate & differentiis tunc natura sic considerata, vocatur universale *Metaphysicum proximum*. Universalialia in predicando vocantur ista quæ prædicantur de multis: sic quia homo prædicatur de omnibus hominibus, equus de omnibus equis universale

F. Amandi Hermann Logica.

appellatur in predicando, quod etiam dicitur universale formale in actu, & pro secunda intentione: quia nimirum importat ipsam intentionem universalitatis quæ intentio veluti forma denominat universale in actu, dicitur etiam *Logicum*, quia *Logicus* maxime de rebus tractat sub secundis intentionibus, In ista ergo disputatione, imò in tota hac parte non agam amplius aliquid de universalibus in causando, aut presentando, seu significando, sed tantum de universalibus in essendo & predicando, Pro intelligentia ergo dicendorum.

Nota. Naturam quam vocamus universal-

lem, videlicet quæ pluribus in esse potest triplicem habere statum ut colligitur ex *Scoto 2. d. 2. q. n. 7.* Primus status est naturæ secundum se præcisè considerata: prout præcindit ab omni illo, quod non est de conceptu quidditativo ejus, vel saltem ut præcedit differentiam contrahentem. Secundus status est naturæ ut formaliter contractæ per differentiam. Tertius status est naturæ per intellectum abstractæ, & iterum suâ differentia denudatæ. In quolibet autem ex prædictis statibus plura reperiuntur instantia vel saltem signa naturæ vel originis, in quibus diversa prædicata competunt naturæ universalibus: In primo statu reperiuntur plura instantia, in quorum primo est tantum natura nuda cum suis prædicatis essentialibus in primo modo dicendi per se, in quo sensu ait *Scotus loc. cit. num. 7. ex Avicenna 1. Met. quod Equitas sit tantum equitas, & non universalis una vel plures*: unde nullius contradictionis alterum extremum ipsi competit in tali statu, nisi hujus esse & non esse: ceteræ omnes contradictiones sunt posteriores illo statu: in secundo instanti seu signo ejusdem status competunt naturæ universalibus prædicata per se secundo modo ipsi propria, seu propriæ passionis tam positivæ quàm negativæ. In secundo statu reperiuntur similiter diversa instantia, in quorum primo natura est contracta, seu singularizata, in secundo competunt ipsi propriæ passionis verbi gratiâ unitas numeralis, indivisibilitas in partes subjectivas, seu incommunicabilitas, & in tertio signo competunt ipsi accidētia separabilia seu rationis sint, sive realia; & quod dixi in primo statu competere ipsi sua prædicata quidditativa, & in secundo passionis: hoc intelligendum est quando habere potest, ut excludatur ens ut sic, ejusque propriæ passionis vel modi intrinseci. In tertio denique statu similiter plura sunt instantia seu signa, in quorum primo amittit omnia quæ ipsi competebant, in secundo

II.

Natura quæ dicitur universalis in triplici potest consistere variis statibus.

In quolibet statu sunt plura instantia.

statu,

statu, non verè & simpliciter, quia hoc est impossibile: sed per operationem intellectus illam denudantis differentiâ contractivâ sive specificâ, sive individuali, sive modis intrinsicis, item unitate numerali, accidentibus separabilibus, & determinatione ad unum; In secundo autem signo acquirit per operationem intellectus aliqua prædicata quæ nunquam antea habuit: verbi gratiâ esse abstractum, esse proximè prædicabile de pluribus, item communitatem aliquam positivam & alia hujusmodi. His prænotatis ad primam partem tituli, secunda namq; sufficienter jam resoluta est per dicta.

III.
Describitur
universale
Metaphysicum.

DICO I. *Universale Metaphysicum bene describitur quòd sit aliquid unum natum aptum esse in multis.* Hæc est communis. Eam tenet etiam D. Augustinus dum dicit cap. 7. *Cathec. nomina communia (id est universalia) ea esse quæ de subiecto significantur id est quæ subiectis partibus in sunt & sic de illis prædicantur, & ne suspiceris illum sententiæ nominalium favere, quasi sola nomina sint universalia, non verò res ita cap. 9. cit. audias eum loquentem & se explicantem: Manifestum est autem ea quæ de subiecto significantur & nomen & rationem nominis habere communem, ut homo & subiecto aliquo significatur hominem, sed non solum nomen, verum etiam rationem eandem in subiecto invenies, in eo quod de subiecto significatur poteris invenire.* Est etiam Aristotelis 7. Met. r. 45. dum inquit: *Hoc enim dicitur universale quod in pluribus natura aptum est esse.* ubi hæc non expressè ponat illam particulam *unum*, tamen sufficienter subintellexit per illam particulam *hoc*, nam omne *hoc* demonstrat aliquam unitatem. Explicatur itaq; Conclusio per omnes ejus partes, quæ explicatio erit ipsa probatio, quoniam cæteroquin jam convenit omni & soli universali Metaphysico. Dicitur *aliquid unum*, per quod intelligitur aliquid reale positivum, unde excluduntur à ratione universalis hic negationes, privationes, & entia rationis, esto enim possit dari aliqua una ratio univoca negationibus & privationibus, tamen de solo universali positivo hic agitur quia illud solum est, quod spectat per se ad cognitionem prædicamentorum, Per unum etiam intelligitur unum per se, & non unum per accidens: quia Philosophis non placuit hic agere de uno per accidens sed de uno per se, quia hoc solum unum ponitur in prædicamento, hinc de illis in tantum agunt, in quantum ad cognitionem prædicamentorum inserviunt. Notandum tamen illud universale quod dicitur unum non debere esse quid completum, sed incompletum nam universale ut sic continet sub se sua inferiora, videlicet quinq; species de quibus prædicatur verè quòd sit universale, certum autem est ex illis differentiam & proprium non esse quid completum, ergò universale hic definitum non debet esse quid completum. Dicitur *aptum in esse multis*, quod videlicet universale tale esse debeat, ut esto de facto non sit, possit tamen esse in multis cum sui multiplicatione, atq; divisione, sicut de facto natura humana est in Petro & Paulo, ut Petrus & Paulus possit dici duo homines. Hinc à ratione universalis excluduntur omnia individua, quæ esto possint

esse in pluribus locis, quia hoc tamen non fit cum sui multiplicatione, universalia non dicuntur. Item excluditur essentia divina quæ licet sit in pluribus personis quia tamen est sine sui multiplicatione, universalis dici non potest, sed non excluditur à ratione universalis natura solis, natura lunæ, &c. quæ esto non sit nisi unica quia tamen plures possibiles sunt ideo natura solis & lunæ verè naturæ universales dici possunt.

DICO 2. *Universale Logicum est unum aptum natum prædicari de multis.* Hæc conclusio sequitur ex priori & quemadmodum superius singulari fuere oppositæ partes, ita pariter istæ exponi debent, Est tamen *Divi Aug. supra, Aristotelis 1. Perich. cap. 5.* ubi ait: *Dico autem universale quod in pluribus prædicari natum est ut homo quiddam universale est: similia habet lib. 1. post. cap. 10. & 15.* Nec hæc Conclusio ulterioribus eget probationibus. Attamen pro Complemento quætionis.

IV.
Describitur
universale
Logicum.

Quæres An unitas & aptitudo quæ ponuntur in definitione data universalium, sit de essentia? R. universale esse nomen concretum, pro materiali dicens ipsam naturam quæ talis dicitur, verbi gratiâ naturam hominis, vel naturam animalis, pro formali verò universalitatem, seu formam à qua dicitur universalis, itaq; si fermo est de universali materialiter hoc est de illa natura quæ dicitur universalis, certum est, nec unitatem nec aptitudinem esse de ejus essentia, sed ad summum proprietatem; si verò fermo sit de universali formaliter, quandoquidem ut sic nihil aliud dicit ac ipsam unitatem & aptitudinem, non debet dubitari quin illa sint de essentia ejus, sicut albedo est de essentia albi materialiter, nec de hoc alia est quæstio, quam de nomine

V.
quomodo
unitas &
aptitudo sit
de essentia
universalis.

QUÆSTIO II.

Utrum detur à parte rei natura communis?

Errorem Heraclii Ephesii, Cratylis, & Ambiestinis, ac totius Epicuræorum gregis nullam admittentem scientiam propter rerum mutabilitatem & fluxibilitatem, resuscitavit novissimis temporibus Guilielmus Occham Scoti quondam discipulus, qui nullam scientiam dari affirmare & asserere non audent, eam de solis nominibus haberi propugnavit: tantoq; studio in ea defendenda incubuit, ut venerabilis inceptor sit appellatus, quæ materia quoq; causa fuit & origo quod Illi, qui asserant omnem scientiam de solis nominibus haberi, Nominales sint appellati, sicut e contra qui defendunt dari naturas communes veras & reales quæ non sunt nudæ voces & conceptus, nomen adepti sunt, ut vocentur Reales, ut proinde in tota Schola Realium, scilicet Divi Thomæ & Doctoris subtilis pro certissimo defendatur, dari naturas tales quæ citra fictionem dicantur communes, quamvis non nihil postea tam in assignanda unitate, communitate & aptitudine inter sese differant, de quibus singulis singulas instituum per decur.

I.
Occham refer
scitavit
sententiam
realem
quæ non
nisi de nomi
nibus dicitur.

decursum quaestiones; hinc tamen id exami-
nabo tantum, ut aliud nihil sim resoluturus
nisi contra Nominales praecise, non curando de
modo quo admitti debeant quomodo singula-
ribus insint, vel ab isdem distinguantur, qualis
sit unitas & communitas & plura alia quae oc-
currunt, unde ad quaestionem resolutivè,

II. **DICO** Dantur universales, seu communes na-
turae, adeoque universalia in essendo quae non sunt nuda
quaedam voces, aut conceptus, sed reales quaedam na-
turae in ipsis rebus existentes. Ita utraq; Schola Rea-
lium Scoti. 2. d. 3. q. 1. D. Thomae cum omnibus
suis. Probatur Conclusio I. Autoritate san-
ctorum Patrum D. Augustini lib. 14. Trinit. cap. 6.
ubi universale vocat nomen multarum rerum &
cap. 11. Catheg. dicit: Cum Leonem vel taurum di-
xerit, omnes qui ubiq; sunt sub uno nomine naturae
succedunt & cap. 2. Res plures commune nomen ac-
cipiunt. & alibi saepe similia habet D. Bernardi
qui plurimum commendat scientias imò ser-
mone primo de Ephiania divini, refutat illud
Platonicum quasi animae vel substantiae & na-
turae antea extitissent quae postea corporibus
insufse reminiscerentur ibi perceptorum non
verò quòd novi aliquid discant, Adde quòd de
consideratione lib. 2. cap. 4. definit hominem quòd sit
animal rationale, ubi non definit Petrum vel
Paulum sed aliquam naturam talem cui primò
competunt haec praedicata animal rationale, &
postmodum primò Petro, Paulo, vel Eugenio.
Divum Anselmum hic addo, qui in sua Diale-
ctica dicit: *Cautissime ad sacrae paginae quaestiones
accedam & sunt monendi utiq; nostro tempore Diale-
ctici (imò Dialecticae haeretici) qui quidem non
nisi flatum vocis putant esse universales substantias:*
ergo universalia in essendo non sunt voces, sed
erunt quaedam naturae communes. Probatur
Conclusio secundò Autoritate Aristotelis 4.
Met. 22. ubi carpit eos Philosophos qui tantum
singularia agnoscebant in rerum natura. & 2.
Met. 15. *Rationem animalis communem eandem esse
in omnibus speciebus & 7. Met. docet definitionem
non esse singularium sed universalium quòd etiam
de scientia dixerat 1. Post. 5. &c. alibi ex pro-
fesso contra Platonem disputat non negando
dari naturam communem sed impugnando eam
non dari prout Plato docebat scilicet extra sin-
gularia subsistentem.*

III. **Probatur Conclusio Ratione I.**

Haec vox homo non immediatè significat mihi
Petrum, Paulum, & Joannem, neq; haec vox ani-
mal immediatè significat hominem, & Leonem,
sed aliquam naturam, secundum quam illa infe-
riora conveniunt, ergò praeter voces & concep-
tus admittendae sunt naturae communes in re-
bus existentes: probatur ant. Quia tam per vo-
ces quam per conceptus significantur immediatè
res secundum rationem illam secundum
quam concipiuntur, sed non concipiuntur se-
cundum rationem singularium, sed secundum
rationem communem, ergò per tales voces aut
conceptus non significantur immediatè singu-
laria, sed aliqua ratio aut natura communis:
ma. patet probatur mi. Quia singularia ex vi
talitatis conceptus universalis conveniunt sed si
conceperentur immediatè, singularia, non con-

F. Amandi Hermann Logica.

venirent, quia singularitates sunt rationes po-
tius disconveniendi, ergò.

DICES Voces & conceptus immediatè si-
gnificant omnia singularia in confuso, & absq;
ulla distinctione, sed R. contra hanc commu-
nem solutionem Nominalium, si ex vi concep-
tus vel vocis universalis illa plura confuse si-
gnificantur, seu prout confunduntur in unum,
quero: quae est illa ratio communis in qua con-
funduntur & communicare dicuntur? sane non
ipsa singularia, ergò debet esse aliqua natura
communis quae sit immediatum significatum
vocis universalis, & immediatum objectum il-
lius actus confusivi plurium in unum. Contra
secundò si voces immediatè significarent totam
collectionem singularium in confuso, sequeretur,
quòd tota collectio possit de illo praedicari
de quo enuntiat, verbi gratia vox homo, de
Petro, cum dicitur Petrus est homo, sed ista col-
lectio non potest praedicari de Petro, ergò non
significat immediatè illam collectionem: probatur
minor quia alias de Petro possit dici
quòd esset Paulus, Joannes, Jacobus, &c. sic de
ceteris omnibus, quia omnes alii in tota colle-
ctione comprehenduntur.

Instabis Idem argumentum currit contra
illos qui objectivè unam naturam communem
praescindunt, quia in illorum sententia univer-
sale quoq; continet plures rationes abstractas
inter se distinctas, quarum collectio de nullo
inferiori praedicari potest, ergò R. negando ant.
quòd scilicet apud objectivè praescindentes
universale contineat plures rationes distinctas,
quia in nostra sententia universale continet in
unam rationem abstractam, quae de omnibus &
singulis inferioribus, & importat immediatum
significatum universalis vocis, ut animal natu-
ram communem animalis, homo naturam com-
munem hominis ut infra magis videbimus. Sed

Replicabis Natura nullo modo de
quolibet individuo praedicari potest, quia illa
natura esset omnium hominum, sed natura
omnium de quolibet individuo praedicari po-
test, quòd probatur: Quia si natura omnium de
quolibet individuo praedicari posset verbi gra-
tia de Petro, sequeretur quòd Petrus haberet
naturas omnium hominum, quòd tamen fal-
sum est, quia Petrus habet naturam distinctam
ab omnibus reliquis hominibus. R. negando
primum ant. cujus probationem statim per mo-
dum rationis adnexam distinguo. Natura illa
esset natura omnium hominum per inexisten-
tiam nego, per indifferentiam concedo, cujus
probationem similiter distinguo: sequeretur
quòd Petrus haberet naturam omnium homi-
num per inexisteniam nego per in differen-
tiam concedo sequelam; Itaque Natura etiam
contracta retinet quandam indifferentiam ne-
gativam, ut possit esse in alio individuo, quia
non nisi extrinsecè est singularizata.

Probatur Conclusio Ratione 2.

Universale praedicatur de singulari inferiori-
bus, sed si non importat unam naturam, sed im-
mediatè collectionem & aggregationem
omnium individuorum, non poterit de singulis
praedicari: ergò universale non dicit immediatè

IV.

V.

V.

VI.

Probatur
Conclusio 2.

O 2 colle-

collectionem omnium individuorum, sed unam naturam communem; probatur minor quia tota collectio, in qua nominales statuunt universalitatem, exprimitur per hoc complexum *Omnis homo*: sed hoc complexum non potest de Petro prædicari, quia falsum est, quod Petrus sit omnis homo, ergo. Nec negare possunt quòd tota illa collectio verbi gratia omnium hominum bene explicetur per hoc complexum, quia secundum ipsos universale non importat unam naturam communem, sed totam collectionem, sed talis collectio bene explicatur per hoc complexum *omnis homo*. Quæ probatio adhuc confirmatur. Quia universale non solum ad singula inferiora superius esse debet, sed & de singulis prædicari, sed etiam de omnibus individuis collectivè sumptis: sed hoc fieri non posset si universale non esset aliud quàm omnia inferiora collectivè sumpta, quia tunc sensus istius propositionis *Omnes homines, sunt homo*; esset hic: *omnes homines, sunt omnes homines*.

VII.

Probatur Conclusio 3. Juxta Philosophum universale debet esse in singularibus, sed vox homo, nec conceptus hominis est in singularibus, ergo nec voces nec conceptus formales vocum erunt universalia; major est certa, quia universale est de essentia singularis, minor probatur, nam vox homo dum profertur non est in singularibus verbi gratia Petro, Paulo, Joanne, &c. sed dum profertur, volat per ætrem sive in se sive in sua specie, de quo modo non curo, donec corrumpatur, nec etiam conceptus formalis hujus vocis *homo* est in singularibus, nam conceptus formalis est effectus intellectus, intellectus autem agit immineret & in se suos recipit effectus, ergo nec voces, nec conceptus possunt esse universalia. Contra Conclusionem.

VIII.

Explicatur
Aristoteles.

Opponitur I. Autoritas Aristotelis pluribus in locis nam in *Categ. cap. de Substantia*, ait, *substantias secundas significare quale quid, quod consistit nominibus communibus non autem rebus convenire. 2. Post. cap. 18. & 19. dicit universale nihil esse præter singulare. Item 7. Met. t. 45. quærens an universale sit substantia concludit: impossibile est esse substantiam esse quodcumque eorum quæ universaliter dicuntur & 10. Met. t. 6. ait, si autem nihil universalium possibile est substantiam esse nec hoc ipsum ut unum quid præter multa, substantiam esse possibile est (commune namque) sed ut prædicatio solum, ergo sentit Aristoteles universalia non esse res, sed solas prædicationes & voces. Verumtamen. ad 1. auth. 13. Aristotelem ibi figurativè loqui accipiens nomina rerum, pro nominibus nominum: qui loquendi modus est Aristoteli frequens: nam eodem modo loquitur 4. Polit. cap. 2. ubi dicit quod de optimo statu Reipublice differere, non sit aliud quam de his nominibus disputare, Regnum, Aristocratia, Respublica. In secundo & tertio loco agit Aristoteles contra Platonem ponentem universales naturas extra singularia existentes, unde in secundo loco dicit, universale nihil esse præter singulare, id est quod non sit existens nisi in singulari, & in tertio inquit impossibile est dari talem substantiam, seu talia universalia per se existentia*

prout etiam in questione sequenti probabo. In quarto loco videtur quidem magis favere Nominalibus, revera tamen non favet, nisi sibi contradixisse Aristotelem dicamus, qui alibi substantias secundas genera & species appellavit, & dari naturas communes clarè superius asseruit, unde dico, quòd in illo loco fuerit locutus de universalibus formalitèr sumptis, id est sub præcisa ratione universalitatis, & sub tali denominatione verum est quod universalia non sint nisi in intellectu & tunc non est nisi prædicatio.

Arguitur 2. Ex Ratione.

Repugnat naturam existere extra singularia, ergo natura communis aut erit quid fictum tantum, aut erunt solum voces & conceptus, antepatet, quia quidquid existit aut est Deus, aut quid aliud à Deo; sed illa natura non sunt Deus, ergo quid aliud à Deo, ergo debent accipere esse ab alio, sed quidquid accipit esse ab alio est singulare: nam secundum communem Philosophorum sententiam cum Aristotele. 1. Met. 1. actio terminatur ad suppositum id est ad singulare. Sed 13. concedendo non dari aliquam naturam communem extra singularia existentem, nec hoc assero: sed nego inde securum, naturam communem, seu universalem futuram quid fictum, vel voces, quia verè datur illa natura quæ universalitatem fundare potest veluti substratum, quæq; habeat communitatem negativam, & indifferentiam quantum de se ut potuisset esse in hoc vel illo supposito, Et concedo probationem, usq; ad subsumptum, quod distingo: quidquid accipit esse ab alio est singulare, si accipit esse ratione sui, & in recto concedo subsumptum; si non ratione sui, sed ratione alterius & in obliquo accipiat esse nego subsumptum. Natura itaq; humana quando producit verbi gratia non ratione sui & in recto producit, sed ratione alterius & in obliquo scilicet ratione Petri & Pauli adeoq; Petrus Paulus in recto producantur & ratione sui.

Instatur Quidquid est in singulari est singulare verbi gratia quidquid est in Petro est ita determinatum ad Petrum, ut nequeat esse in Paulo nec in ullo alio individuo, sed natura quæcumq; est in singulari, ergo non erit universalis & communis, quia hoc, id est universale debet esse indeterminatum, ut possit esse in Petro, vel Paulo ac aliis individuis. Sed 13. distinguendo ma. Quidquid est in singulari est singulare per se & ab intrinseco nego ma. per accidens & ab intrinseco concedo ma. & dist. similiter minori nego consequentiam, Potest itaq; dupliciter aliquid dici singulare, per se, & ab intrinseco: & per accidens & ab extrinseco seu denominative; Primum est quando ipsum principium individuationis vel ipsam singularitatem includit aliquid in conceptu suo formali, sic Petrus Paulus sunt singularia per se & ab intrinseco; Per accidens & ab extrinseco dicitur aliquid singulare, quando non sic includit singularitatem, habet tamen illam tanquam quid posterius naturam sibi identificatam sic natura humana quæ est in Petro dicitur singularis per accidens, quatenus habet Perreitatatem sibi identificatam, determinantem eam ad hoc unum numero.

Urgetur

IX.
Licet non existat extra singularia non est tamen quid fictum.

Urgetur. Undecunq; ista singularitas provenit, sive per se, sive per accidens, jam impedit universalitatem naturæ communis: ergo nulla solutio, probatur aut. uni eisdemq; realiter identificato non potest convenire universalitas & singularitas simul, sed tunc natura & individuatio unum eisdemq; sunt realiter identificatum, ergo non potest ei competere universalitas, cum singulari sit realiter identificata, patet major, quia universalitas dicitur communicabilitatem, singularitas dicitur non communicabilitatem & repugnantiam ad communicandum multis. & negando aut. Quia extrinseca determinatio cum indeterminatione negativa ab intrinseco, non repugnant simul; unde eius probationis majorem distinguo: Uni eisdemq; realiter identificato non potest convenire universalitas & singularitas respectu ejusdem & eodem modo concedo ma. respectu diversorum, diversoq; modo nego ma. & concessa mi. nego consequentiam, Itaq; natura in individuo existens dicitur universalis formaliter per intellectum, fundamentaliter ex se; singulariter per hæcceitatem, communis & indeterminationem intrinsecè, particularis & determinatam extrinsecè. Et si quis adhuc replicare vellet quod natura abstracta & præcisa ab inferioribus non habet esse à parte rei, sed tantum per intellectum, atq; adeo cum non habeat communiter nisi beneficio intellectus, de se non erit communis; tunc negandum est aut. quia vel natura abstrahitur ab hæcceitatibus secundum se, seu in quantum scilicet ipsa nunquam essentialiter & intrinsecè involvit hæcceitatem, vel quatenus naturam in se cognoscit non cognoscendo hæcceitatem, prima abstractio quidem non tollit conjunctionem naturæ cum hæcceitate, imò semper manet etiam si natura conjuncta sit cum illa; quia aliud non importat, quam naturam non habere hæcceitatem, cum quo non repugnat, quia habeat illam ab alio; Imò nec altera abstractio quæ fit per intellectum tollit realiter conjunctionem realem naturæ cum hæcceitatibus, quia hic abstrahendi modus solum importat, quod intellectus actu suo naturam attingat, non attingendo singularitates, & secunda hæc abstractio originem ducit à prima, quia enim natura in se non includit singularitatem à parte rei, ideo reperto in re hoc fundamentum naturam concipit non conceptà singularitate. Plures aliqui adhuc aliquas congerunt objectiones: ut quod non possit res esse unum & multa: quod nihil sit realiter in Paulo quod sit in Petro: adeoq; conceptus communis objectivus abstrahi non poterit, & plures similes quæ tamen vel ex dictis solvi possunt, vel non sunt magni momenti; quando ergo dicunt aliqui nihil posse esse unum & multum intelligendum est de eadem unitate & eadem multitudine, id est quod nil possit esse unum & multum numeraliter, bene tamen potest aliquid esse unum unitate specifica cum multitudine numerali, & unitatem genericam cum multitudine specifica. Ad secundam dico quod licet nihil sit realiter in Petro, quod est in Paulo, aliquid tamen habet Petrus quod est indifferens ut identificetur cum Paulo, ratione cuius indif-

ferentia: ut cum illo identificetur habet ut possit de illo prædicari.

QUÆSTIO III.

An natura communis existat extra singularia & qualiter:

Constituto universali in communi,

seu demonstrato quod præter singularia datur aliqua natura communis: nunc ad particularia examinanda accedo, nam in superiori quaestione præcidi à modo quomodo hæc natura communis detur, quod proinde in hac & sequentibus examinabo quaestionibus: & in primis occurrit solemnissima sententia, quam Aristoteles Platoni attribuit, qui dicit quod naturæ communes substantiarum præsertim specificæ existant per se separate à singularibus, quæ sint universales, quarum participatione singularia esse accipiunt tanquam à veris principiis, verbi gratiâ Plato ponit unum hominem existere & idem dicendum de aliis naturis specificis verbi gratiâ hominem ut sic, bovem ut sic, equum ut sic in quodam amoenissimo loco, ubicunq; demum locus ille sit spatiantes; qui tamen homo ut sic, bos ut sic, &c. habeat veram entitatem positivam separatam à singularibus quæ tamen est de essentia omnium singularium, quæ sententia in quantum Platoni affingitur non verò in se præcisè considerata, nam sic est stolidissima, gravissimos pro & contra habet Authores, nam multi Sancti Patres post & ante Doctorem, inter quos est præcipuus Divus Augustinus quem etiam Scotus 1. d. 35. q. unica. §. Ad ista pro se citat, Justinus Martyr, D. Thomas, Durandus & plures dicunt Platonem nequaquam possuisse illas tales naturas quæ in Scholis Idææ Platonice vocantur, à singularibus separatas: sed per Ideas aliud non intellexisse, nisi exemplaria & Ideas in mente divina existentes, secundum quas omnia quæ producuntur ad extra, fiunt, unde dicit Divus Augustinus lib. 83. q. 46. *In divina mente sunt omnium rerum creandarum creaturarumve rationes, neq; in divina mente quidquam nisi æternum, atq; incommutabile potest esse: atq; has rerum rationes principales appellat Ideas Plato, quarum participatione fit, ut quidquid est, sit, quomodo est.* Et similia plura habet hic & alibi pro defensione Platonis. Econtrà verò Divus Bernardus & plures alii tum Patres, tum Scholastici inclinare videntur, quod Plato tales naturas separatas & distinctas admiserit, nam D. Bernardus serm. 1. de Epiph. Domini dicit, *Neq; dico illud Platonium, &c.* quia si Plato non aliud statuisset, quam æternas rationes in mente divina, secundum quas cuncta creata formantur: sanè sanctus & mellifluus Doctor dicere posset, ergo quandoquidem asserit se non dicere illud Platonium, signum est, eum velle declarare quod Plato non rationes æternas in mente divina intellexerit, sed ipsas naturas per se existentes, secundum quas omnes aliæ ad extra producuntur & efformantur, sit tamen hæc sententia cuiuscunq; velit, nam etiam difficile est summum Aristotelem Præceptorum suo hanc in ussisse calumniam, asserere, vel existimare, quasi mentem tantus discipulus, tantiq; ingenii & tanto tempore cum eo conversatus Platonis non percepisset,

I.

Opinio Platonis.

D. Augustinus constat excusare Platonem.

se, ut nonnulli autumant, idè præscindendo ab ejus Authore ad questionem.

II.
Non datur
natura extra
singularia
existens.

DICO: *Natura communis est realiter identificata singularibus, adeoq; non datur natura communis separata, & per se existens extra singularia.* Hæc est communis contra Platonem & Averroistas, Colligitur etiam ex Patribus supra citatis & Probatur I. Ratione ex Aristotele 7. Met. deducta. Implicat quòd aliquid sit essentia alicujus, vel pars essentia & esse extra rem cujus est essentia, sed natura communis, seu universalis in essendo sunt essentia singularium, ut animal de essentia hominis, homo de essentia Petri, ergò implicat talia universalis dari extra singularia; major patet, quia nihil est magis intrinsecum sibi quàm sua propria essentia, minor etiam clara, consequentia adeoq; sequitur optima. Probatur secundò, Quia vel illud universale separatum & per se existens est productum, vel improductum, non impro ductum, quia esset Deus, si verò est productum, ergò non est amplius universale, sed singulare, vel universale & singulare simul, quia actiones terminantur ad singularia & omne quod productionem terminat immediatè, & in se est singulare, unde Boethius inquit, *Omne quod est, idè est, quia unum numero est*, ergò nullum datur universale quod non existeret in singularibus. Probatur Conclusio tertio; Si natura humana verbi gratià ita existeret separata, vel esset simul in Platone & Socrate, vel non esset, si non esset, ergò erit res ab illis distincta, non minus quàm unus homo distinguitur ab alio, adeoq; erit singularis: neq; poterit ingredi essentiam eorum, neq; de illis prædicari essentialiter: quia prædicatum debet esse essentiale illi maxime internum, de quo affirmatur; si verò existat simul in Platone & Socrate, vel est eadem indivisa natura in utroq; vel divisa in duas numero distinctas si est eadem, ergò Socrates & Plato non sunt duo homines, quia inter creata quæ identitatem in uno tertio indiviso habent, inter se sunt indivisa, & idem inter se; si divisa in duas, majori absurdo sequitur eandem rem esse unam, & non unam, existens, & non existens; Confirmatur hoc, Quia ex hoc sequeretur eandem naturam esse miseram & beatam in pœnis æternis & in gloria infinita, sed hæc absurda sunt, ergò etiam illud ex quo sequitur, probatur ma. si enim est eadem natura in Petro verbi gratià & in Sorte, & Sors moriatur in peccato mortali, ad æternas condemnabitur pœnas; si verò Petrus in statu gratiæ decedat mercedem iustorum percipiet, in gloriam æternam assumetur, & tamen in utroq; eadem est numero natura, ergò sequeretur quod una eademq; natura misera esset, & beata existens & non existens; nam si Petrus moreretur ante Sortem, existeret eadem natura in Sorte & non existeret: quoniam Petrus defunctus est in quo etiam erat. Sed contra

III.
solvitur ar-
gumentum
solemnis-
simum.

Arguitur I. Nihil realiter identificat sibi illud, sine quo potuit & potest esse, sed secundum Scotum & Scotistas humanitas Petri potuit esse sine illa differentia individuali, quia sicut per hanc modo contracta est, ita potuit contrahi per aliam, ergò natura communis non est realiter identificata singularibus, minor est

doctrina nostra, patet etiam major: Quia materia non identificat sibi realiter illam formam quam habet, quia potuit & potest sine illa esse. R. dist. ma. Nihil sibi realiter identificat illud sine quo potuit & potest esse potentia Physicâ, & ad actum reducibili concedo ma. potentia Logicâ, seu Metaphysicâ, quæ explicatur per hoc quod naturæ communi ut priori inductione ex suo conceptu formali non repugnet esse cum alia differentia nego ma. Quæ distinctio clara evadet exemplo indifferentiæ activæ divinæ voluntatis, ad actus liberos: nam isti realiter identificantur cum entitate necessaria divinæ volitionis, & tamen secundum suam rationem formalem desinere possunt, non desinente entitate divinæ volitionis, sicut ergò divina voluntas voluit ab æterno hunc mundum fore ut potuerit non velle ob ejus indifferentiam ad opposita liberè, & tamen tali indifferentiâ non obitante hoc decretum de mundi existentia cum entitate divinæ voluntatis, vel volitionis penitus identificantur, ita servatâ proportione in creatis potest admitti natura communis, ita de se indifferens passivè ad individuaciones, ut quando producta est subiecta quam defecto habet, potuit pariter in illo priori æq; bene produci cum alia, absq; eo quod ex tali indifferentiâ deduci possit realis distinctio naturæ communis ab individuacione. Jam distingo quoq; minorem ejusdem argumenti: humanitas Petri potuit esse sine differentia individuali potentia Logicâ, seu Metaphysicâ, & antequam ad extra produceretur concedo mi. potentia Physicâ & actum reducibili, idq; post ejus productionem nego mi. Ita q; quando Scotista dicunt naturam potuisse esse sine illa differentia individuali, non intelligunt quod in statu existentia possit ab ea separari, sed tantum volunt quod natura communis intrinsecè habeat sua prædicata, à prædicatis individui inter quæ est illa indifferentia, quod intrinsecè non repugnet sibi, ut sit sub hac, vel illa, vel quod magis patet esse sub una, quàm sub alia: Hinc non est paritas de materia prima respectu formarum, & de natura communi, respectu differentie individualis, quia indifferentia materiæ ad formas est alicujus subiecti præexistentis ad ipsas tanquam ad perfectiones omnino extrinsecas illi, quæ ei uniuntur per extrinsecum agens; Natura verò communis ante hæc existat non præsupponitur existens, sed hæc existat pullulat & dimanat ab ipsa absq; ullo concursu extrinseci agentis, & tam necessariò, ut nec per Dei potentiam possit produci quin aliqua hæc existat dimanet ab ipsa tanquam ultima & postrema ejus realitas à qua determinari dicatur & reddatur incommunicabilis.

Instatur. Si ista emanatio impediret distinctionem realem, sequeretur quòd ubicunq; esset talis emanatio, quòd ibi non daretur distinctio realis, sed dantur verè Metaphysicæ emanaciones inter quas intercedit distinctio realis, ergò ista non impedit in natura communi & differentia individuali, ma. videtur certa, probatur minor. Inter naturam genericam & specificam est vera emanatio Physicâ, sed illa non impedit distinctionem realem, ergò nec inter

inter naturam communem & differentiam individualement, probatur mi. Animalitas realiter distincta invenitur in leone, in quò non invenitur rationalitas: sed eadem distinctio quæ versatur inter gradus genericos & específicos, versatur etiam inter naturam communem & differentiam individualement, ergò R. negando mi. ad probationem dist. ma. inter naturam genericam & specificam est vera emanatio, respectu ejusdem Essentiæ concedo, si consideretur utraq; respectu diversarum essentiarum nego, & distingo etiam mi. non impedit distinctionem realem respectu diversarum essentiarum concedo, respectu ejusdem, nego mi. Cujus probationis majori concessa distingo mi. Eadem distinctio quæ versatur inter naturam genericam, versatur, etiam inter communem & differentiam individualement, si specifica consideretur tanquam contrahens, & est differentia specifica contrahens concedo mi. inter alias non contrahentes nego mi. Itaq; dico, naturam communem identificari cum gradibus essentiæ ejusdem, qui in eodem constituto reperiuntur, unde quando dicitur quod animalitas reperiatur distincta realiter à rationalitate sunt in leone, sunt diversa constituta, imò nec ex hoc ipso potest inferri distinctio realis propriè dicta, sed tantum talis quæ coincidit cum non identitate.

Urgetur. Non tantum in diverso constituto, sed etiam in eodem constituto differentia contrahens distinguitur à natura generica, ergò etiam in eodem natura communis & differentia individualis realiter distinguuntur. Probatur ant. Quia etiam in eodem constituto natura est prior suà differentia, seu specifica, seu individuali. ergo. Quodcumq; prius naturam potest esse sine posteriori, ut docet Scotus & Aristoteles 7. Met. 16. sed natura est prior hæcitate, ergò poterit esse sine illa realiter, ergò non modo in diverso constituto, verum etiam in eodem natura communis & hæcitas realiter distinguuntur. R. Negando ant. cum probationis consequentia cujus probationis majorem dist. Quodcumq; prius natura realiter distinctum potest esse sine posteriori, concedo ma. quodcumq; prius non distinctum realiter, nego ma. Unde non repugnet naturæ simpliciter esse sine hæcitate, in quantum prior est præcisè, sed in quantum est realiter identificata illi, Minorem ejusdem probationis etiam distingo: Natura est prior hæcitate prioritate essendi, nego mi. prioritate intelligendi concedo mi. Itaq; duplex poterit naturæ prioritas considerari, una essendi, quæ explicatur per posse esse prius, sine posteriori: altera intelligendi, quæ non rectè sic explicatur, etiam si fundamentum in re habeat, sed tantum unam prius potest absq; alio, aut prius alio intelligi. quia non includit illud in suo conceptu; Aristoteles ergò ibi loquitur de prioritate essendi, & natura præcedit singularitatem tantum prioritate intelligendi, præsertim si consideretur ut contracta est per singularitatem, nam si consideretur ut indifferens ad illam, adhuc dici posset prior illa prioritate etiam in essendo, quatenus quantum est de se poterat esse sine illa.

Arguitur 2. Contradictio actualis arguit distinctionem realem, sed inter naturam communem & differentiam individualement est contradictio, ergò: ma. patet, quia nequeunt de eadem re duo contradictoria affirmari & verificari; minor probatur, quia natura communis est communicabilis, altera non est communicabilis, ergò. R. negando ma. ad probationem distingo ant. de eadem re nequeunt affirmari & verificari duo contradictoria proximè & immediatè, qualia sunt esse & non esse, existere & non existere, concedo ant. remotè & mediatè, nego antecedens, Contradictio ergò, quæ fundatur inter res fundat distinctionem realem, quæ fundatur autem mediatè supra res, & immediatè supra formalitates, ut est in proposito infert solum distinctionem formalem, & sic non implicat secundum diversas formalitates ejusdem rei verificari duo contradictoria, consequenter quando dicitur, quòd contradictoria inferant distinctionem, bene quidem concluditur, sed malè si inferatur, quæ inferant distinctionem realem. Sed

Instatur, Inter contradictoria est æqualis repugnantia, quatenus de eodem & secundum idem nunquam verificari possunt: ergò etiam æqualem semper inferunt distinctionem. R. negando consequentiam, quia licet omnia contradictoria, sive realia, sive rationis æquè quidem in omnibus repugnent, quantum ad veritatem & falsitatem, affirmationem & negationem, ita quòd nunquam de eodem respectu ejusdem verificari possint, non tamen æq; repugnant quantum ad inferendam distinctionem: nam quædam inferunt distinctionem simpliciter realem, ut prima contradictoria, alia ex natura in formalem, & alia rationis, juxta conditionem contradictionis.

Dico 2. Natura communis distinguitur ex natura rei formaliter actualiter à singularitate contrahente. Hæc est communis Scotistarum & quidem sufficienter ex secunda disp. prioris partis demonstrari potest, verum quia hic est proprius ejus locus, ideò. Probatur 1. Præcipuo fundamento Scotistarum, quo probant dari distinctionem formalem, & hoc ex via contradictionis; Impossibile est de eodem & secundum idem à parte rei verificari duo contradictoria, & idem esse rationem secundum quam plura conveniant à parte rei, & etiam non conveniant, sed natura communis verbi gratia animalitas, vel humanitas est ratio secundum, quam plura inferiora à parte rei conveniunt & assimulantur inter se, & differentia, sive specifica, sive individualis est ratio secundum quam illa plura non conveniunt & assimulantur, ergò natura, sive generica, sive specifica, cum non distinguantur realiter, distinguuntur saltem formaliter à suis differentiis alias de eadem omnino formalitate verificantur duo contradictoria.

Dices; Nullam à parte rei dari realem, vel formalem contradictionem, sed tantum dari à parte rei fundamentum contradictionis: quia contradictio consistit in affirmatione & negatione, quæ fit per intellectum. Contra licet affirmatio & negatio fiat per intellectum,

tamen

IV.

V.
Natura distinguitur formaliter à singularitate.

tamen à parte rei verificantur contradictoria nullo cogitante intellectu; ut quod homo per rationalitatem non conveniat cum equo, conveniat autem per animalitatem, sed hæc convenientia & non convenientia est actualis, ergo & contradictio.

VII. Probatur Conclusio secundo:

Nulla creatura est de se hæc, & singularis, ergo fit talis per realitatem aliquam superadditam, & à seipsa ex natura rei formaliter distinctam, & per consequens necessariò ex natura rei formaliter distinguitur à differentia individuali, per quam singularizatur, probatur aut: Quia si natura esset de se hæc, tunc non posset cum veritate intelligi sub ratione universalis, quod est falsum: quia sic scientiæ omnes tollerentur de medio, quia sunt de universalibus? ergo nulla natura est de se hæc, probatur sequela, Quia tunc falleretur intellectus, quia conciperet rem aliter quàm in se est, & modo ei repugnanti, quia si natura esset de se hæc & singularis, & conciperetur ut communicabilis conciperetur cum repugnanti, quia quod de se singulare & hoc est, communicari non potest, Quod confirmatur, quia qui conciperet naturam divinam communicabilem, conciperet eam sub modo sibi repugnanti, quia de se hæc est: ergo etiam si humanitas verbi gratià esset de se hæc, & singularis, qui eam conciperet ut communicabilem, conciperet sub modo sibi repugnante, ergo. Sed in contra

VIII.

Arguitur, Natura Petri & natura Pauli, ut distinguuntur à differentiis individualibus, vel est una & eadem natura, vel est alia & alia, si una, ergo à parte rei datur universalis natura extra singularia existens; si alia & alia, ergo erunt singulares, & per consequens frustra ponetur in eis singularitas: probatur hæc consequentia, quia quæ realiter distinguuntur in eadem specie, sunt ejusdem speciei individua; sed si sunt alia & alia, naturæ erunt distinctæ realiter, ergo & singulares. R. concedendo ant. pro secunda parte, scilicet esse aliam & aliam naturam: & nego consequentiam: ad probationem nego mi. quia distinctio realis non attenditur per formalitates, sed per res essentielles quæ sunt capaces existentia, quia distinctio realis supponit diversitatem existentiarum, cum ergo naturæ secundum suas rationes formales sint incapaces existentiarum, non poterit inter illas esse distinctio realis, & hoc est juxta D. 7. Met. q. 13. S. contra prædicta, ubi dicit, quod distinctio realis naturarum provenit à differentiis individualibus unitivè sumptis quibus circumscriptis non possunt dici realiter distinctæ quia sic non concipiuntur sub existentia quæ necessariò requiritur ad fundandam distinctionem.

Instatur. Natura quæ est in Petro, & ut à Petreitate distincta, vel est illa natura quæ est in Paulo, ut à Pauleitate distincta, vel non est ea realiter, si non est eadem realiter cum eo, ergo est realiter distincta ab ea, etiam ut à Pauleitate præcindit. R. negando consequ. quia licet omnis distinctio sit non identitas, non tamen è contra, quia non identitas latius patet, quàm distinctio, cum etiam conveniat non enti, imò multis convenire potest, quibus non potest

convenire distinctio, sic igitur in proposito natura quæ est in Petro ut à singularitate præcindit, licet non sit eadem cum natura Pauli realiter, non tamen dici potest sub tali præcisione realiter distincta, quia ut à singularitate præcisa, non est existentia capax: & sic fundare nequit realem distinctionem, quæ non verificatur inter extrema diversas existentias habentia

Urgetur. Inter illa intercedit distinctio realis, inter quæ versatur relatio similitudinis, sed inter illas duas naturas etiam ut præcindunt à singularitatibus relatio similitudinis intercedit, ergo adhuc realiter distinguuntur in tali casu, si realiter autem distinguuntur jam erunt singulares, & per consequens individua ejusdem speciei: probatur mi. quia dicuntur inter se convenientes, ergo dicuntur sibi similes. Sed R. dist. ma. inter illa extrema concludit distinctio realis, inter quæ intercedit relatio similitudinis si extrema sint constituta concedo ma. si extrema licet tantum rationes constitutivæ nego ma. & distingo etiam mi. inter duas naturas intercedit relatio similitudinis, seu sunt sibi similes ut quo, concedo, ut quod nego mi. & consequentiam. Itaq; ut docet Doctor, quolibet 4. S. contra illud. L. generatim loquendo constitutum est constitutoratio differendi, vel conveniendi, non autem ipsum conveniens, vel ut differens, sed secundum se constituit, sicut rationale secundum se, nec ut ens ut conveniens, nec ut differens constituit hominem, licet homo constitutus per rationale per ipsum differat formaliter, vel conveniat, hæc Doctor quare propriè & in rigore loquendo duæ humanitates nequeunt dici specificè & essentialiter convenire, vel similes in recto, sed tantum in obliquo; quia non sunt res in una natura communi convenientes, sed sunt quibus plura individua inter se conveniunt essentialiter & quidditative, Quia quodcumq; alicui est ratio essendi tale, illud nequaquam dici possit in recto tale, sic etiam duæ humanitates nequeunt dici sibi similes nisi ut quo, non verò ut quod

Dices; Sunt entitates ejusdem rationis, ergo possunt dici similes. R. negando consequentiam, Quia non dicuntur ejusdem rationis, quasi convenient in aliqua natura specifica, sed quia natura Petri ut prior hæcceitate nata est ita contrahi ab hæcceitate Pauli, & identificare sibi, sicut modo identificat illam Petri sub qua est. Per eadem responderi potest ad argumentum quod nonnulli formant de differentiis individualibus, quæ inter se habere videntur similitudinem.

QUÆSTIO IV.

An natura sit communis à parte rei per inexistentiam, an solum per indifferentiam.

Quamvis Scotista omnes convenient in communitate naturæ à parte rei, disconveniunt tamen in explicando quomodo hæc communitas competat ipsi respectu inferiorum; Alii enim dicunt, inter quos est Menrille, Faber, Basqualinus, &c. illam esse individuis communem per inexistentiam, hoc est ita esse communem, ut si secludantur hæcceitas Petri & Pauli,

IX.
I.
Menrille
Faber
Basqualinus
Scotista

Pauli, verum esset dicere, quod natura quæ est in Petro est ipsamet natura quæ est in Paulo, prorsus sine illa distinctione: esse verò aliam & aliam per differentias contrahentes, Et ne cogantur concedere in naturalibus quod solum mysterio Trinitatis competit, unam eandemq; naturam esse in pluribus singularibus, dicunt se non intendere, nec loqui (dum ajunt unam naturam esse communem in omnibus & singulis singularibus) de unitate numerali, quasi una & eadem natura numero sit in omnibus inferioribus, sed de unitate propria naturarum, quæ importat in divisionem inter essentialia principia, quæ etiam appellatur unitas essentialis & formalis minor numerica. Alii autem Scotistæ docent illam esse communem per indifferentiam, ita quod revera multiplicetur natura communis in individuis, ut verè dici possit seclusa Petreitate & Paulicitate: quòd alia humanitas sit Petri alia Pauli, licet talis aleitas non possit cogitari per modum distinctionis realis propter rationes in solutionibus argument. quæst. præc. quatenus cogitantur cum singularitatibus, adhuc tamè dicatur quælibet illa natura communis, quia quantum est de ratione sua intrinseca, non magis petit sub hac differentia esse potiùs, quàm sub alia. Ita Lichetas, Tartaretus, Mastrius, Pontius, &c. cum quibus etiam resolutivè ad questionem

tiùs dicantur plures humanitates numero, quàm naturæ divinæ nisi admittatur aleitas naturarum in Petro & Paulo, ergò. Prob. ant. quia, vel idèd dicentur plures homines, quia identificantur pluribus hæccitatibus & personalitatibus, sed natura divina etiam identificatur pluribus personalitatibus numero distinctis & tamen non possunt dici plures, ergò hæc ratio non est; Vel quia contrahitur & determinatur a differentiis, sed hæc determinatio & contractio non tollit intrinsecam naturæ unitatem, sicut nec personalitates divinæ tollunt unitatem naturæ divinæ, ergò si non admittitur aleitas naturæ distincta à numerali, erit eadem ratio de natura creata, ac de natura divina: ergò debet admitti alia & alia natura in individuis intrinsecè secundum rationem naturæ, & non tantum extrinsecè secundum rationem singularitatis, & sic non erit una in omnibus per inexistentiã.

Probatur Conclusio 2. Quia natura humana verbi gratiã non habet propriam existentiam distinctam ab existentia individui, ergò non potest esse communis per inexistentiã, consequè patet: quia deberet esse communis per existentiam individui, sed per existentiam individui non potest esse communis, cum individuum una eù sua existentia sit singulare, ma. patebit in Metaph. ubi probabo gradus metaphysicos non habere proprias existentias, sed existere existentia totius. pro nunc sufficiat ista ratio, quia nulla est necessitas multiplicandi has existentias.

Probatur Concl. 3. Si eadem formalitèr natura esset in pluribus individuis, sequeretur quòd nullus homo possit annihilari, vel creari à Deo, sed hoc dicere est derogare nimium potentie divinæ, ergò, ma. prob. quia annihilatio in hoc consistit, quòd illud quod annihilatur ita esse delinat, ut nihil omninò ejus remaneat, sed ex opposita sententia Deus hoc facere non posset, quia remanebit illa natura Petri annihilandi in Paulo, quæ est eadem secundum Adversarios. Item ad creationem requiritur quòd ita aliquid producatur ut nihil ipsius ante productionem præextiterit, sed hoc Deus etiam facere non posset, ergò prob. mi. Ponatur quòd Deus vellet creare Petrum, cumq; creet, attamen tunc non esset dicendus eum creasse, quia jam aliquid illius præextitit, nempe natura, quæ est in Paulo antequam Petrus produceretur, quæ est formalitèr & positiva una in ipso, ergò. Sed

Arguitur. Pro contraria sent. Petrus & Paulus sunt indivisi formalitèr, id est, per principia essentialia; ergò habent unitatem formalem positivam intrã se, licet distinguantur numericè materialitèr per principia materialia, seu per hæccitates. Confirmatur, Quia habent eandem definitionem, quæ si non esset eadem non convenirent duo homines univocè inter se, ergò sunt unum formalitèr, seu essentialitèr. & negando ant. sicut enim natura Petri in se est una formalitèr, ita distinguitur formalitèr & dividitur à quacunq; alia quæ non est ipsa & consequentèr à natura Pauli, idèd autem dicuntur idèd formalitèr, seu essentialitèr, quia illæ naturæ sunt sibi omnimodè similes, sicut dicimus videndo duos homines sibi similes, quòd sint quodammodo unus homo formalitèr, propter maximam similitudinem. Ad confirmatio-

IV.

V.

VI.

Petrus & Paulus non sunt ex se indivisi formalitèr.

P

nem

11. loci est

X.

I.

III.

DICO: Natura communis creata, communis est pluribus per indifferentiam, non verò per inexistentiã. Est Doctoris multis in locis, præsertim 2. d. 3. q. 10. §. sed contra. Ubi respondens ad argumentum Damasceni concedensq; comm. uve non esse ita commune ut possit proxime & positivè prædicari de multis, sic Petrus est homo, & Paulus est hic homo, sicut Pater est Deus, & Filius est hic Deus, & Spiritus Sanctus est idem Deus, dicit tamen esse ita commune quòd non repugnet sibi esse in alio quam in eo in quo est. Et d. 3. q. 6. §. ad quæst. dicit, Concedo ergò quòd unitas realis non est alicujus existentis in duobus individuis, sed in uno. Hanc Conclusionem probant bene argumenta in secunda quæstione hujus disp. posita, contra Conclusionem. Verum tamen probatur adhuc primò, si admitteretur natura communis per inexistentiã, admitteretur mysterium Trinitatis in creatis, sed hoc est absurdum, ergò. Prob. ma. Quia erit eadem natura in pluribus singularibus & individuis, sicut eadem natura divina est in pluribus personis, ergò. Verum tamen respondent adversarii ad hoc argumentum negando utrumq; ant. & dicunt disparitatem esse, quia natura divina est eadem numero, in creatis verò est una specie, aut genere. Sed nil solvunt: Quia quæro, Petrus & Paulus, vel tantum differunt per hæccitates, vel etiam aliquomodo per naturam: si per solas hæccitates, ergò eodem modo differunt, sicut Pater & Filius in divinis per solas personalitates, si verò quòq; aliquo modo per naturam, ergò erit alia humanitas in uno, & alia in altero, aliàs non possent dici duo homines, sed unus homo, cum concretè substantiale nõ multiplicetur sine multiplicatione formæ, ergò ulterius sequitur quòd non sit una natura in pluribus per inexistentiã.

Dices; Petrum & Paulum esse plures homines, quia sunt plures humanitates numero differentes, non verò sic sunt tres personæ divinæ. Sed contra. Non est major ratio quare po-

F. Amandi Hermann Logica.

nem respondeo aliam omnino esse definitionem Petri, aliam Pauli objectivam, quamvis habeant eandem materialiter, quia propter maximam similitudinem quam inter se habent naturæ, una potest omnimodè representare aliam sicut imago picta artificiosè quæ representaret corpus Petri, representaret etiam corpus Pauli, si essent valde similes in suis corporibus, sic est in proposito, Nec tamen hinc sequetur quòd non convenirent univocè in ratione hominis, quia ad univocationem prædicamentale non requiritur quòd detur una ratio objectiva in pluribus per inexistentiam, sed sufficit quòd detur una ratio communis objectiva per indifferentiam, quæ comunitas sufficit ad veram prædicationem, ergò.

Instatur Contra principalem argumenti solutionem, si Petrus & Paulus idèd dicantur formalitèr unum inter se, quia eorum naturæ habent inter se summam similitudinem, ergò etiam debent dici unum numero, quia habent summam in hæccitatibus similitudinem; probatur consequentia à paritate, quia non est ratio cur dicantur unum formalitèr, nisi quia duæ naturæ maximam inter se habent similitudinem, sed etiam hæccitates maximam habent inter se similitudinem, ergò à pari sicut Petrus & Paulus dicantur unum formalitèr, propter naturarum maximam similitudinem: ita Petrus & Paulus dicendi sunt unum numero propter maximam similitudinem hæccitatum. *R.* negando consequentiam & ejus suppositum, supponitur enim in consequente, quòd hæccitates habeant inter se omnimodam similitudinem, quod non probabitur tam facile, quia licet prima facie appareat quasi hæccitates habeant inter se similitudinem, tamen semper reperitur aliquid in una, quod non reperitur in altera præsertim si distinctè concipiuntur, sicut duo ova, esto aliquando videantur sibi per omnia similia, tamen si quis ea distinctè concipiat, semper inveniet aliquid in uno, quod non reperitur in altero, sic verbi gratià si unum ovum mihi ostendatur post alterum, si sint sibi similia non potero ego dicere istud esse aliud à primo, quia potest esse quod ille mihi idem ostendat quod primò ostendit, sed illud benè poterit dicere angelus si eidè tali modo ostenderetur, quod non sit aliud, sed idè ipsum, quod primò ostendit: cuius ratio non est alia, nisi quod in uno sit aliquid cognitum ab angelo, quod non est in alia. Mihi tamen videtur quod solutio melior esset si responderetur juxta dicta præcedentia quæst. Unde hic

Urgetur. Inferendo, ergò à paritate, potest etiam dici quòd una natura, esto appareat similis alteri naturæ, non sit tamen omnimodè similis, sicut dictum fuit de hæccitatibus, & sicut defectu hujus similitudinis hæccitatum Petrus & Paulus non sunt idem numero: sic quia naturæ sunt omnimodè sibi similes non debent dici unum formalitèr. *R.* negando illatum, quia licet hæccitates non habeant eandem omnino similitudinem, eam tamen habent naturæ. Et si quæras unde nam sciam omnimodam similitudinem inesse naturis, & non inesse hæccitatibus? Respondeo inde colligi, quia si per possibile, vel impossibile natura quæ est in Petro separaretur ab hæccitate Petri & poneretur cum hæccitate Pauli, sicut e contra si natura quæ est in Paulo poneretur cū hæccitate

Petri, faceret Petrum, non sic autè est discurrendum de hæccitate, nam si hæccitas Petri poneretur cum natura Pauli, non faceret Paulum, sed Petrum, & e contra: adeo quæ, non habent talè similitudinem sicut habent naturæ ipsæ hæccitates.

Arguitur 2. Pro Lalemandeto. In homine verbi gratià est natura humana & individualitas, quæ omnia sunt quid positivum, sed gradus, individualis & natura debent habere proprias existentias, ergò si natura est communis & universalis, debet existere existentia universalis, consequentèr natura erit communis per inexistentiam: prob. mi. quia cuilibet essentia debet correspondere existentia, quia in sententia Scoti Essentia & existentia non distinguuntur realitèr, sed natura communis & hæccitas habent proprias essentias, ergò & existentias. *R.* neg. mi. ad prob. dist. ma. Cuilibet essentia metaphysicè completa correspondet propria existentia, concedo ma. incompletæ nego ma. & dist. similiter minorem: habent proprias essentias completas, nego minorem, incompletas concedo, & nego consequentiam: quando ergò Scotista dicunt quòd cuilibet essentia respondeat propria existentia, intelligunt de essentia completa metaphysicè composita ex gradibus metaphysicis, qualem essentiam habent omnes substantiæ tam completæ ut homo, quam incompletæ ut materia, forma, &c. Item omnia accidentia tam absoluta, quam respectiva, &c.

Instatur. Natura divina habet propriam existentiam distinctà ab existentia personalitatis, ergò & natura creata. *R.* neg. consequ. disparitas est, quia natura divina est ex suo conceptu singularis, sicut & personæ divinæ, natura autem creata nō est ex se singularis, sed per singularitatem, atq; adeò non potest habere propriam existentiam sicut divina, quia existentia semper consequitur ipsa re singulari, cum ergò natura creata nō sit singularis secundum se, nec secundum se habebit propriam existentiam, per hæc solvuntur etià faciliter plura argumenta ex codè Authore.

QUÆSTIO V.

De Communitate, & aptitudine Universalis Metaphys.

Visa & cognita Existentia naturæ communis à parte rei & qualiter cum inferioribus conveniat & distinguatur, explicandæ sunt adhuc duæ difficultates quas parant illæ particule *in unum, aptum*, in definitione universalis comprehensione quas etiam in hac sequenti expediã quæstione, & quidem quantum ad primam partem tituli resolvendam; Notandum communitatem, seu indifferentiam naturæ duplicem esse unam positivam & negativam alteram, Positiva est quam habet natura dum concipitur in se indivisa, & ab omnibus differentiis individualibus abstracta, omnes & singulas æqualitèr respiciens, ita ut proximè sit potens inesse omnib; & singulis individuis. Communitas negativa quæ etiam positivè non una appellari potest, est illa, quam habet natura etiam quando est à parte rei per indifferentiam individualem contracta, quia in tali statu, licet non possit absolute & positivè dici communis & indifferens, quia est ad unum quidditativum applicata, & singularizata realitèr identificata, adhuc tamè potest dici negativè communis quatenus scilicet ex se & suis principiis intrin-

VII.
Propositum
argumentum
Baleman
detti.

Scriptura

I.
Communitas
aliqua est
positiva, alia
negativa.

IV.
In
hac
partem
quæstionis

intrinsicis, non est hæc de singularis, sed tantum extrinsecis, scilicet ratione singularitatis, primam communitatem non potest natura habere independentem ab intellectu, bene tamen secundam, prima dicitur proxima, secunda remota, quam ad questionem pro priori parte resolvendam.

DICO I. Naturam habere a parte rei præter

operationem intellectus. Ita Doctor 2. d. 3. q. 1. & probatur natura a parte rei reperta in aliquo individuo, vel ab intrinseco est communicabilis alteri individuo, vel non est; si primum, ergo datur communitas naturæ a parte rei, maxime remota ad essendum in multis independentem ab intellectu; si secundum, ergo quotiescunq; concipitur communicabilis concipitur sub modo repugnante suæ essentia, & consequenter semper erit conceptus falsus, quod est contra Adversarios.

DICES. Naturam ab intrinseco, nec esse communicabilem; nec esse incommunicabilem: sed utrumq; accipere ab extrinseco; incommunicabilitatem per differentiam individualem, communicabilitatem verò per intellectum. Sed Contra 1. Quia secundum ipsos Adversarios natura quælibet creata seipsa est singularis a parte rei & non per aliquam entitatem superadditam, ergo secundum se & ab intrinseco est incommunicabilis & consequenter quando concipitur ut communicabilis, concipitur falsè & sub modo sibi repugnante, vel si potest concipi verè multiplicabilis & communicabilis debent admittere quòd habeat communitatem ab intrinseco quòd est in questione. Contra 2. & probò naturam creatam esse ab intrinseco communicabilem, Quòd natura divina sit incommunicabilis, provenit ab intrinseco, ergo quòd natura creata sit communicabilis, erit etiam ab intrinseco, sed hoc nihil aliud est quàm indifferentia, seu communitas negativa. Sed contra solutionem priorem

Instabis. Si natura a parte rei esset de singularis secundum datam solutionem, non posset fieri communicabilis per intellectum, quia conciperetur sub modo sibi repugnante, ergo a pari si secundum se est communis, non poterit concipi ut singularis, vel fieri singularis ab extrinseco, quia etiam conciperetur sub modo sibi repugnante; probatur consequentia, quia quando unum oppositum per se alicui convenit, aliud nec per se, nec per accidens ei convenire potest. & negando consequentiam; disparitas est. Quia si singularis est non nisi per intellectum concepta modo sibi repugnante fieri potest universalis, si autem in se sit communis negativè, poterit bene esse singularis positivè quæ singularitas positivè quia est ipsi extrinseca, non tollit ejus communitatem negativam, quam semper reservat. Ad probationem consequentia verum esse dico, quod si illud cui per se competit unum oppositum non sit quid potentiale, sed in sua ultima actualitate constitutum, aliter autem se habet res in proposito.

Quantum ad 2. p. Multiplex est sententia: Nam plurimi Thomistæ post Cartesianum putant, quòd sufficiat multiplicabilitas per intellectum in quantum scilicet natura

F. Amandi Hermann Logica.

objicitur intellectui veluti non singularizata, quia tunc habet non repugnantiam ad essendum in multis; alii e contra volunt, quòd natura debeat actu esse multiplicata, alii verò quòd hoc non requiratur, sed requiri ut ad minus per potentiam naturalem & physicè multiplicari possit, ita Pavelius, Zimar, Communior tamen sententia, quæ est Scoti, Avicennæ, Simplicii, Alensis & Recentiorum passim asserit, non requiri, nec multiplicationem actualem, nec physicam, sed ad minus naturam per potentiam Dei supernaturalitèr esse multiplicabilem, seu non esse repugnantem ad existendum in multis; per aptitudinem enim nihil aliud hic intelligitur, quàm non repugnantia ut insit in multis. Cum qua sententia etiam

DICO 2. Non requiritur multiplicabilitas actualis, sed nec sufficit multiplicabilitas per intellectum, ut natura dicatur communis: sed requiritur ut multiplicabilis sit ad minus per potentiam Dei absolutam. Prob. prima p. Quia alioquin natura Solis, Lunæ, Phœnicis, &c. non posset concipi ut universalis & communis, sed hoc est falsum, ergo, prob. m. quia unico tantum existente individuo adhuc natura potest concipi ut indifferens, imò absolute loquendo nullum requiritur individuum existens: nam nullo existente homine, adhuc natura humana posset ab angelo concipi ut communis, & indifferens ad existendum in pluribus individuis.

DICES; Ut natura consideretur communis, debet ipsa posse abstrahi ab omnibus inferioribus, sed si singularia non existunt non potest ab ipsis abstrahi, ergo requiritur, & negando m. quia possunt considerari singularia possibilia.

Probatur 2. p. Concl. 10. Quia si sufficeret multiplicabilitas per intellectum, duo absurda sequerentur, ergo, prob. ant. Sequeretur primò quòd natura divina posset dici universalis metaphysicè, secundò quòd species infima esset genus, sed hæc sunt absurda, ergo, prob. ma. Quia nihil impedit quòd natura divina dicatur communis & universalis metaphysicè, nisi quòd non possit a parte rei multiplicari numero, & nihil impedit quòd minus species infima sit genus, nisi quòd a parte rei possit multiplicari specie, ergo si non requiritur multiplicabilitas a parte rei, sed sufficit per intellectum ut consideretur multiplicabilis natura divina, poterit dici universalis & species genus, probatur consequentia, quia per intellectum poterunt concipi ut multiplicabiles.

DICES; Non posse naturam divinam dici universalem, nec speciem infimam genus: quia natura divina nequit concipi conceptu etiam imperfecto, nisi individua & inepta esse in pluribus, & species infima nequit concipi, nisi ut immultiplicabilis specie. Sed contra: Ideò natura divina debet necessariò concipi ut immultiplicabilis numero, & species ut immultiplicabilis, specie quia verè & a parte rei sunt, sic immultiplicabiles etià in ordine ad quamcunq; potentiam, ergo omnis natura quæ est immultiplicabilis a parte rei per quamcunq; potentiam, non poterit concipi ut universalis, quia est eadem ratio de omnibus, consequenter multiplicabilitas per solum intellectum non sufficit.

XI

V.

Non requiritur multiplicabilitas actualis, sed sufficit potentialis.

VI.

VII.

VIII.

IX.

Probatur eadem Pars 2. Quia vel illa natura verbi gratiâ Gabrielis, ut sic concipitur cum repugnantia ad esse in pluribus, vel sine tali repugnantia: sed potius cum aptitudine, quidquid dicitur est implicatorium, ergo: probatur mi. quia si primum asseritur, tunc conciperetur universalitas simul cum repugnantia ad essendum in pluribus; si secundum, tunc natura in se repugnans ad pluralitatem conciperetur non repugnans & apta ad talem pluralitatem, quod profus implicat: quia intellectus neguit tribuere rei quod essentia directe repugnat, non enim potest concipere hominem esse mugibilem, quia hoc rationalitati repugnat: & si homini hoc tribueret, non amplius hominem, sed bovem vel vaccam conciperet, cum ergo essentia Gabrielis sit essentialiter singularis, sed non Thomista poterit intellectus eum concipere ut communem, vel si conciperet ut communem, non Gabrielem, sed aliquid aliud conciperet.

X.

Dices; Natura Gabrielis dum concipitur ut principium propriarum operationum, & ut distinctum à natura Universalis, & aliis distinctæ speciei, non concipitur necessario ut singularis; & dum sic concipitur est determinabilis per singularitatem, etiam si nulla alia numero esset possibilis, ergo ut sic concepta haberet rationem universalitatis. R. dist. pro 2. parte est determinabilis determinabilitate requisita ad universale nego ant. alia determinabilitate concedo ant. & nego consequentiam determinabilitatem autem quæ requiritur ad universale est, quod res determinabilis magis late pateat, quam determinativum, sic homo magis late patet quam Petreitas: natura autem Gabrielis juxta Advers. licet esset determinabilis per Gabrielitatem, tamen non magis late pateret ipsa natura, quam Gabrielitas.

QUÆSTIO VI.

De Unitate universalis Metaphysici.

I.

Quæstio hæc multum intricate disputatur, cum inter Thomistas & Scotistas, ac inter ipsosmet Scoti sectatores, quo in passu ut mentem Scoti cum Divo Augustino consilem, eam quoque amplectar sententiam, quam forte alioquin amplexas non fuissent: progrediendo itaque ad ipsam materiam tractationem. Notandum primo unum juxta Philosophum 1. Met. 6. & lib. 10. cap. 1. definiri quod sit ens indivisum à se & divisum à quocumque; alio sic enim loco citato ait: *Universe autem ea quæ divisionem non habent, ex ratione quâ non habent, unum dicuntur.* Unde, quia diversimodè aliqua divisionem non habent, diversa quoque genera unitatum reperiuntur; Et D. Bernardus quidem sermone 80. multiplicem unitatum assignat divisionem, item lib. 5. de Considera. cap. 8. novem assignat species, inter quas præcipuas duas ponit: unitatem constitutivam, & unitatem collectivam, quæ etiam propriissime & maxime philosophicè ad mentem præsentis quæstionis deserviunt: unitatem collectivam vocat eam ut utar terminis mellisui Doctoris cum verbi causa multi

Unum describitur à Philosopho.

lapides faciunt acervum unum. Vide an Philosophus ipse (indignor contra nonnullos qui eum quali Philosophiæ expertem, impudenter calumniari veriti non sunt, cum tam diversum sese in suis exhibeat scriptis, ut jam Rhetorem & Oratorem admiseris, jam solertissimum Naturarum indagatorem revereris, jam profundissimum Theologum suspicias, necesse sit.) melius ad præfens unitatem dividere, & unitatem per accidens definire poterit, nam ipse Aristoteles unum dividit primò, in unitatem per accidens, & unitatem per se. *Unitas per accidens* quamvis ex dicto Divi Bernardi sufficienter pateat, est quæ non habet naturam ejusdem prædicamenti, vel quæ constat ex partibus physico nexu minimè copulatis, aut certè ex iis, quæ licet physicè connectantur, sunt tamen in suis speciebus entia completa: ut inter subiectum & accidens, & inter duo accidentia in eodem subiecto, verbi gratiâ dulcedinis & albedinis in lacte; alia iterum est durationis: ut inter Achillem & Hectorem; alia loci: ut acervus lapidum; alia propter vinculum: ut fascis lignorum; alia connexionis ut domus, alia ordinis ut exercitus & Respublica. *Unitas per se*, secundum D. Bernardum *constitutiva*, ab aliis *essentialis* dicitur, & alicujus unius quod habet determinatam essentiam, in uno tantum genere, aut specie, sive id sit simplex ut Deus opt. max. & summa generica, sive compositum ut corpora Physica, & Metaphysica species, quorum illa ex materia & forma, hæc ex genere & differentia constituuntur. Hæc unitas per se, seu *constitutiva*, vel *essentialis* duplex est, alia est numerica, alia minor quam numerica, quæ formalis appellatur; Unum unitate numerica est iterum duplex: aliud est enim numero per se primò, & istud est ipsa differentia individualis, seu hæcitas, vel Petreitas, aut est unum numero non per se primò, sed per se secundò ut ipse Petrus, vel individuum speciei in concreto, aut est unum numero non per se primò, nec per se secundò, sed tantum denominativè & per accidens: sic natura individui specifici est una numero, propter identitatem cum Petro & sua hæcitate. *Unitas formalis* est unitas alicujus gradus, vel conceptus communis, & vocatur formalis idèd, quia competit rei ratione essentia, vel totalis, vel partialis, quam semper sequitur, & quia essentia rei dicitur forma, idèd etiam illa unitas dicitur formalis, sicut & unitas numeralis vocatur materialis, quia sequitur individualitatem, quæ potest vocari materia propter quandam proportionem, quam habet cum materia Physica, in hoc quod quemadmodum non possumus colligere distinctionem specificam, vel identitatem specificam, sublunarium ex materia, quia in omnibus sublunariis materia est ejusdem rationis ita etiam ex differentiis individualibus non possumus colligere distinctionem, vel identitatem specificam, unde quæcumque non distinguuntur per principia formalia, seu essentialia, sunt unum essentialiter & formaliter, sed quia in essentia rerum solent includi plures formalitates: ut verbi gratiâ in essentia hominis animalitas & rationalitas hinc fit, ut aliquid possit distinguari ab alio secundum aliquam formalitatem

Unitas per se est duplex.

Unitas formalis deservit.

litate unam suae essentiae, licet non distinguitur secundum aliam, verbi gratia homo distinguitur formaliter & essentialiter ab equo, non secundum animalitatem, sed secundum rationalitatem & ideo, licet non sit unum cum ipso in rationalitate, est tamen unum cum ipso in animalitate, nihilominus adhuc possunt dici simpliciter diversa formaliter, seu essentialiter: cum sit aliquid de ratione formali unius; quod non est de ratione formali alterius. Unitas formalis potest adhuc dupliciter considerari, seu esse duplicem, unam secundum quam natura esset in se una, & per se una, non vero per accidens, qualis unitas competeret tali naturae, quae non posset etiam supernaturaliter habere nisi unum tantum individuum. Alia autem est unitas similitudinis, seu representabilitatis per eundem conceptum, ita scilicet, ut quaecunque sunt representabilia per eandem speciem, vel per eundem conceptum, possint dici una & similia unitate, vel similitudine generica, vel specificam, seu partiali & totali, secundum quod in omnibus conceptibus essentialibus, vel in aliquibus tantum conveniunt, ut Petrus & Paulus, Petrus & Bucccephalus: & haec unitas est proprietas naturae, quia revera proprium est naturae, quod per hunc conceptum potius possit representari, quam per alium; Hanc unitatem plurimi Scotistae statuunt pro unitate, quam natura communis, seu universalis requirit, sed an ipsa sufficiat infra examinabo in hac eadem quaestione. Interim Nota secundum, ad universale non requiri unitatem numericam, nec eam sufficere nam directe ei repugnat, haec enim essentialiter est singularis, & incommunicabilis, illa autem indifferens & communicabilis. His nota: **NOTA**

DICO I. Datur a parte rei unitas formalis minor numerica, & ab ea formaliter distincta: haec est D. 2. d. 3. Probatur 1. p. Quia quaelibet entitas suam habet unitatem distinctam ab unitate alterius, sed natura humana in Petro & Paulo sunt entitates reales, ergo habent suas unitates: sed non numericas, ergo formales, ergo datur unitas formalis. Probatur 2. p. Quia illa unitas est major, quae minorem patitur diversitatem, sed unitas numerica minorem patitur diversitatem, quam formalis, ergo est major formalis, minorem probant Scotistae ordinariè ex eo, quod unitas formalis naturae humanae patitur subiectum in multas formalitates dividi & distingui, ut est homo, qui distinguitur in risibile & rationale; verum tamen si cui placet haec probatio mihi displicet, ut demonstrabo ex conclusione tertia, itaq; sit pro probatione minoris hoc, ex eo quod unitati formali non implicet communicari pluribus, implicet autem unitati numerali ergo. Probatur 3. p. Si unitas formalis non distingueretur ab unitate numerica formaliter, sequeretur quod natura Petri esset tam dissimilis naturae Pauli ac est ipsa singularitas, & quod non esset ipsi plus similis quam naturae Bucccephali, sed hoc est absurdum ergo: probatur sequela. Secundum Adversarios unitas singularis, seu ipsa singularitas Petri est dissimilis naturae Pauli, ergo etiam ipsa natura erit dissimilis illi, cum sit eadem cum singularitate: nam

idem manens idem, non est natum causare nisi idem, & sic non magis erit similis ipsi quam Bucccephalo, quia secundum se totum est dissimilis utriusque, & sic non magis convenient inter se Petrus & Paulus, quam Bucccephalus.

Dices Essentia non distinguitur ab ipso cuius est essentia, alias a seipso idem distingueretur, sed humanitas est essentia Petri, ergo non distinguitur a Petro; ergo nec unitas hominis ab unitate Petri, R. negando mi. si sumatur essentia pro integra entitate, non autem pro quidditate communicabili, quo se non a Porphyrio species dicitur tota individuorum essentia, hoc est: communicabilis, nam in hoc sensu humanitas est tantum Petri pars, habens compartem Petreitatem, & ideo distinguitur humanitas a Petro, sicut inclusum ab includente. Imò nec universaliter major est vera: nam forma est de essentia intrinseca compositi, & tamen distinguitur ab ipso: ergo.

DICO 2. Natura communis habet suam unitatem, idq; citra omnem fictionem intellectus. Colligitur ex Doctor in 3. d. 3. quem praeter Scotistas sequitur Lalemanderus. Probatur Conclusio quoad 1. p. Quia unitas est propria passio entis, ita ut quodlibet ens in quocunque gradu sumatur, sit unum sua essentia, id est, quod habeat unitatem consequentem proportionate essentiam: sed natura habet propriam essentiam distinctam a singularitate, ergo etiam habebit propriam unitatem sibi proportionatam scilicet formalem. Prob. 2. p. Si natura communis acciperet suam entitatem per fictionem & operationem intellectus, vel esset quid fictum naturae per fictionem, super additum, vel quid reale verè ipsi collatum, aut aliqua denominatio extrinseca, nullum horum dici potest, ergo natura communis nullam recipit unitatem ab intellectu; adeoque citra fictionem habebit eandem. probatur mi. quoad p. p. Quia quod verbi gratia intellectus meus fingat parietem nigrum esse album, non propterea fictio mea faciet ipsum album; ergo a pari licet intellectus fingat naturam communis unitatem, si ante non haberet, non propterea per fictionem acciperet: probatur etiam minor quoad 2. p. Quia intellectus non habet virtutem productivam alicujus realis in objecto suo, cum sit potentia immanentèr agens, sed hoc esset falsum: ergo. Confirmatur: Per hoc quod intellectus intelligat singulare nil reale producit in ipso secundum omnes, ergo etiam per hoc. quod intelligat naturam, sive simul intelligat singularitatem, sive non, nihil reale in ipso producet. Confirmatur 2. Quia si per aliquem actum intellectus illam unitatem reciperet, maxime per praecisivum, sed per hunc non accipit, ergo per nullum; probatur mi. Quia illa natura a qua praecinditur, vel est una in multis, vel apta esse in multis, vel non est, si primum, ergo habet ex se unitatem: si secundum, ergo per intellectum eam non acquiret.

Arguitur Si natura haberet talem unitatem ex se, esset una & multiplex, una quidem a se, & multiplex a singularitatibus R. concedendo totum, si a solis singularitatibus habet multi-

III.

IV.

Natura communis habet suam Unitatem.

V.

Natura est una & multiplex.



multiplicari; nec est inconveniens quod sit una & multiplex secundum diversas rationes, verbi gratiâ una formaliter & essentialiter, & multiplex numero.

III Instatur; Hinc sequeretur quod à parte rei daretur una positivè natura in multis formaliter & essentialiter. R. negando sequelam, sed solum sequeretur quod daretur una natura secundum se formaliter & essentialiter, quæ non obstante per singularitates potest adhuc multiplicari. Verumtamen tam contra hanc, quam contra præcedentem conclusionem.

V. Arguitur 2. Omnis entitas est à parte rei singularis, prout videtur pluribus in locis asserere Aristoteles: ergo etiam omnis unitas nature realis est singularis, & numeralis, ergo non datur aliqua unitas formalis à parte rei, sed solum per fictionem intellectus. R. disting. ma.

VI omnis entitas à parte rei singularis est per se, vel per accidens, concedo ant. per se semper nego ant. Quia ut præmissi in capite questionis, aliqua entitas est singularis per se primò, ut est ipsa singularitas, seu differentia individualis: alia per se, non tamen primò ut est ipsum singularare, alia per accidens tantum ut est natura quæ licet denominative dicatur singularis, adhuc tamen retinet suammet propriam unitatem formalem.

Instatur; Idem est natura rei in Petro esse hominem, & esse hunc hominem, sed esse hominem, per se convenit Petro: ergo etiam esse hunc hominem, & consequenter unitas numerica non convenit per accidens ei tantum: R. negando ma. Quia Petrus est homo simpliciter per humanitatem, sed per singularitatem est hic homo.

Urgetur; Natura humana, verbi gratiâ Petri non distinguitur à parte rei à singularitate Petri: ergo idem est in Petro esse hominem & esse hunc hominem, probatur ant. Omne reale existens in rerum natura debet habere quidditatem per se existentem in rerum natura, sed natura communis non habet quidditatem existentem in rerum natura distinctam à singularibus, ergo natura humana non distinguitur à singularitate Petri. R. negando ant. & ma. prob. si ly existere dicat existere sine existentia, seu separatim existere ab existentia singularium, cujus falsitas sufficienter patet ex dictis, idè ad propriam & genuinam difficultatem, quæ in hac questione queritur, & in cujus gratiam reliqua omnia dicta sunt.

V I. Dico 3. Natura quæ denominatur universalis, verbi gratiâ humana, non habet aliam unitatem in inferioribus, quam unitatem similitudinis, conformitatis, & representabilitatis per eundem conceptum formalem, nec alia requiritur; Hæc Conclusio est patrocinio Scotistarum plurimum destituta, causam tamen ejus suscepit Joannes Pontius, qui etiam eam mordaciter defendit, ad eam amplectendam moverunt me autoritates D. Augustini, cui consentire videtur per omnia D. Bernardus.

Itaque Probatur Conclusio primò auctoritate Eiusdem Sancti Præfatis Hypponenfis; Nam lib. 13. Trinit. cap. 2. postquam multa eleganter modo suo disputasset

de fidei unitate, dicit. Non enim numero est una sed genere (generatim accipit pro communi) propter similitudinem tamen & nullam diversitatem magis unam dicimus esse, quam multas, nam & duos homines similes cum videmus unam faciem, dicimus & miramur amorum, facilius itaq; dicitur multas animas fuisse singulas, utiq; singulorum de quibus legimus in Actibus Apost. quod cu fuerit anima una; quæ autoritas non modo probat præsens institutum, videlicet fidei & animarum unitatem aliam non esse, quam similitudinis: sed & concludit, naturas communes non in existere in inferioribus per inexistentiâ, quoniam asserit singulas singulorum fuisse animas. Item lib. 16. contra Faustum 15. Expresse distinguit inter similitudinem essentialiarum, & qualitatum: nam Quasi verò inquit loc. cit. Cum simile aliquid dicitur ex omni parte, & ex omni modo simile intelligatur: quia non est tantum quæ unus ejusdemq; nature sunt, dicuntur inter se similia, sicuti gemini homines, vel filii Parentibus, vel omnes homines omnibus hominibus in quantum homines sunt, utiq; similes sunt; quod & in cæteris animalibus inter se similitudo est, vel arboribus: velut olea, olea; lauru lauro, similia dicitur, verum etiam nature & disparis sunt, & dicuntur, multa similia ut oliva oleaster; videlicet quantum ad gradum & rationem genericam. Accipio pro Confirmatione etiam auctoritatem D. Bernardi Serm. 71. in Cant. Cant. ubi postquam multa de unitate Patris & Filii in eadem natura divina disseruisset subdit: Quo contra homo & Deus, quia unus non sunt substantia vel nature, unum quidem dici non possunt, unus tamen spiritus certa & absoluta veritate dicuntur, si sibi invicem amorem inhereant: quam quidem unitatem, non tam essentialiarum coherentia facit, quam convenientia voluntatum, ubi notanter dicit inter Deum & hominem non posse intercedere unitatem, supponit tamen quasi possit in aliis, quare etiam notanter dicit non tam; nam & supra dixerat: Nam quomodo unitas, ubi numerus naturarum & substantiarum diversitas, ubi unitatem naturarum non excludit simpliciter per numerum naturarum, sed etiam per substantiarum diversitatem: ratione etiam.

Probatur Conclusio: tum quia alia non est assignabilis unitas, quæ sit à parte rei, tum si aliqua alia requireretur, maxime unitas aliqua quæ adveniret per intellectum, sed nulla talis advenit, ergo: tum quia nihil impedit quò minus ipsa hæc unitas sufficiat pro unitate universalitatis, ergo alia gratis assignatur: ergo. Verumtamen in contra

VII. Arguitur; Similitudo fundatur in unitate secundum Philosophum, ergo si nature à parte rei habent inter se similitudinem, habebunt etiam à parte rei aliquam unitatem, supra quam fundatur, adeoq; in illo priori consistet. R. 1. Explicando Philosophum, videlicet eum voluisse, quòd unitas sit ipsa similitudo, quemadmodum hic modis loquendi, Illud est risibile quod habet potentiam ad ridendum, non arguit potentiam ad ridendum esse distinctum quid à risibilitate: sed potius significat risibilitatem esse potentiam ridendi. R. Secundò si aliqua unitas antecedens requiritur, illa non est alia quam representabilitas per conceptum formalem: ita quòd ea quæ sunt representabilia per eundem conceptum formalem & cognitionem,

tionem, illa debeant dici una, & consequenter similia adaequatè vel inadaequatè, ad modum quo repræsentantur, vel ut tota essentia, vel ut pars.

Instatur contra primam solutionem: hæc unitas similitudinis est a parte rei, ergò & unitas universalis, quod est contra Scotum 2. d. 3. q. 2. n. 8. ergò non sufficit: R. disting. 1. conseq. universalis Metaphysici fundamentalis & remoti concedo consequentiam; nec hoc est contra Scotum: formalis & proximi, nego consequentiam: non sufficit ergò ad unitatem universalitatis proximæ & formalis quæcumq; unitas, sed requiritur abstractio per intellectum.

QUAESTIO VII.

De Universalis Logico.

Hactenus egi de universalis Metaphysico, quod propriè universale quidem non est, fundat tamen universale in actu & formale, unde magna est inter utrumq; differentia, nam Metaphysicum, seu remotum est natura ipsa communis, ut ex superioribus liquet. Universale Metaphysicum non habet aliam unitatem quàm formalem similitudinariam, & communitatem negativam; universale verò Logicum, exigit unitatem & communitatem proximam & positivam, ita, ut natura concipiatur in se indivisa, & ab omnibus differentiis Individualibus abstracta, æqualitè omnes respiciens: ita ut concipiatur veluti potens omnibus in existere, & singulis non modo disjunctim, sed etiam conjunctim, ut de omnibus inferioribus prædicari possit; Itaq; in præsentis quaestione quaeritur, in quo nam essentialitè ratio universalis consistat, Nam aliqui putant quod consistit in existere in multis, cuius passio immediata sit prædicari de multis. Ita Baro, Mastrius & Bellutus, & in Schola Thomistarum communitè, Alii contra, existimant Rationem, & universalis Logici consistere in prædicari de multis, cuius propria passio sit esse in multis, hæc sententia est communior Scotistarum, quam ut ego resolvam prius puto

Notandum esse, Prædicationem, quæ est actus prædicabilitatis, esse duplicem: alia est enim prædicatio in actu signato, seu signata; alia est exercita seu in actu exercito: Prædicatio in actu signato est, quæ significatur per ly prædicatur vel dicitur, & dicitur signata, quia denotat quia per copulam debeat exerceri, hinc prædicatio exercita est quæ significatur per ly Est: prædicari ergò in actu exercito est illud, quod prædicatur de alio mediante copula verbali Est: sic animal prædicatur de homine, quando dico, homo est animal, albedo de pariete, dum dico paries est albus; Contra itaque prædicari in actu signato non potest dici de alio mediante verbo Est, sed est ratio propter quam aliquid potest dici de alio, mediante copula verbali est in actu exercito, unde quando dicitur quod genus potest prædicari de pluribus specie differentiibus, quandoquidem hoc non est verum in actu exercito, seu in prædicatione exercita: quia non potest verè dici homo est genus, debet intelligi de prædicatione signata, & sensus est, quod secunda intentio generis quæ advenit animali,

sit ratio formalis cur animal prædicetur in quid de homine, prædicatione exercitâ homo est animal. Est autem adhuc alia differentia inter prædicationem signatam & prædicationem exercitam, Quia illud quod est subiectum in prædicatione signata, sit prædicatum in prædicatione exercita, & hinc est axioma quod signatur in intentionibus exercetur in rebus, verbi gratiâ in prædicatione signata ista, animal prædicatur de homine, statim quod in data signata prædicatione fuit subiectum, in hac exercita homo est animal sit prædicatum, & contra quod erat prædicatum, sit subiectum: hoc prænotato ad quaest.

Dico I. Ratio constitutiva universalis

est prædicari de pluribus prædicatione signata. Hæc est Aristotelis 1. Perib. cap. 5. Scoti q. 15. Universalis & q. 12. dicit: Cum igitur prædicari de pluribus non contingat nisi aliquis istorum quinque modorum, qui per se dividunt prædicari de pluribus quod est ratio ipsius universalis, & q. 11. ait: Species in est homini, secundum quod homo prædicatur de individuis, loquendo de prædicatione signata.

Probatur Conclusio I. Universalis Logici ratio constitutiva, vel debet esse prædicari de pluribus, vel esse unum in multis, ut est de se evidens, sed non potest constitui per esse in multis, ergò debet constitui per prædicari de multis. Ipsa major est Adversariorum, probatur minor ex Scoto q. 7. universal. ubi sic inquit, Ratio generis est extranea universali quando unitur ipsi (id est quinque prædicabilibus) per hoc verbum, Est, sicut & animal quando dicitur homo est animal, ergò prædicari de multis, & non esse in multis est ratio ipsius universalis.

Probatur Conclusio secundò, Nihil prius rei convenit quàm sua essentia, sed prius convenit prædicari de multis in actu signato, quàm esse in multis: ergò esse in multis non est de essentia universalis; probatur minor natura non est una in multis a parte rei positivè & proximè, quod requiritur ad universale, sed per operationem intellectus, sed non per aliam operationem intellectus, quàm per comparationem, quæ comparatio est prædicatio signata, seu in actu signato, ergò prædicatio passiva correspondens prædicationi reali ipsius intellectus in actu signato, prius convenit naturæ quàm esse in multis.

Dices. Universale est quod est aptum prædicari de multis, ergò prius convenit naturæ quod sit universale, & apta prædicari de multis, quàm prædicetur de multis; & per consequens ratio universalis non in prædicari, sed potius in aptitudine prædicandi, vel in aliqua alia ratione, cuius ei talis aptitudo convenit, statui debet; sed illud non est aliud quàm in esse unum in multis, ergò esse unum in multis, & non prædicari de multis, erit ratio constitutiva universalis, R. totum argumentum procedere de prædicatione exercita: atq; adeo nihil concludit contra propositam conclusionem, quæ loquitur de prædicatione signata, quod sit essentia universalis Logici; Unde quando Aristoteles, vel Scotus dicit universale esse unum in multis, seu aptum dici de multis, loquuntur de aptitudine ad prædicationem exercitam, non verò de aptitudine ad signatam: hæc enim non

III.

Ponitur ratio constitutiva universalis.

IV.

non esset passio, sed potius subiectum unde passio emanat scilicet esse in multis & hoc clare Scotus ostendit 2. d. 3. q. 1. n. 8. cum dicit *Universale in actu est illud quod habet unitatem indifferentem secundum quam ipsum idem est in potentia proxima ut dicatur de quolibet supposito &c. predicatione dicente hoc est hoc.* Itaque Ratio constitutiva universalis est, predicatione signata passiva actualis, quae nihil aliud est, quam denominatio extrinseca naturae alicujus praecise cognitae & comparatae, per intellectum ad sua inferiora; ad quam immediate consequitur tanquam propria passio esse unum in multis, passio vero secunda praedicandi de multis, praedicatione exercita; denique ipsa praedicatione actualis exercita tanquam accidens commune, quod est bene notandum.

V. DICO 2. Universale est in re, ut in subiecto:

Universale quo modo fit in re, & in intellectu.

quia illam denominat, non intellectum, & in intellectu est veluti in efficiente, & ut cognitum in cognoscente. Haec conclusio etiam videtur esse communis eam signanter tenet Ambrosius Peplus, & Probatur: Quia intellectus non tribuit ad libitum denominationem universalis, aut generis, aut speciei: sed juxta naturam & proprietatem in natura repertam; ergo forma denominans scilicet relatio, generis vel speciei non est in intellectu, sed in rebus juxta rei proprietatem.

VI. Quaes; An natura universalis maneat

Non manet tale praedicatione exercita.

talis in actuali, seu exercita praedicatione? R. cum Scoto q. 6. universalium apud Connimb. hic q. 6. a. 4. negativè, & probatur breviter: quia ut natura sit universalis debet positivè, vel saltem in Metaphysico negativè indifferens ad plura de quibus potest praedicari, vel in esse, sed in praedicatione exercita natura fit determinata ad unum, scilicet ad illud de quo exercitè praedicatur, ergo non manet universalis. Connimb. Instant, sic potest intellectus concipere naturam praecisam ab inferioribus, & deinde formare conceptum alicujus inferioris, ergo adhuc manebit universalis. R. ad hoc concedendo ant. sed nego, quod tunc maneat natura praecisa, sed omnia praecisione determinatur ad illud inferius, unde praecisio & comparatio signata naturae non potest stare cum praedicatione exercita, & de uno tantum inferiori; alias simul esset eadem natura determinata ad unum, & non esset: quia adhuc manet universalis & indeterminata ut suppono, & tamen determinatur per actualem praedicationem, ut est evidens, unde negatur consequentia.

QUESTIO VIII.

Per quem actum intellectus fiat universale Logicum?

I. Suppono in hac quaestione contra non-

Nulla alia potentia facit ab intellectu.

nullos quos Arriaga partim rejicit, partim suscipit, Nullam aliam potentiam praeter intellectum posse facere universale Logicum, tum id clare Philosophus docet, dum intellectum dicit esse universalium, sensum vero particularium, tum, quia obiectum sensus externi non est nisi materiale quid: sed universale nec Metaphysicum, minus Logicum est quid materiale, ergo nulla potentia externa potest facere universale; probatur consequentia, quia nulla

potentia excedit latitudinem sui obiecti adequati, sed obiectum adequatum potentiae materialis, est quidditas materialis, ergo potentia materialis non potest facere universale. Ut ad resolutionem hujus quaestionis progrediar

Adverte ex libris Animaisticis, In anima

rationali duplicem esse intellectum: nempe agentem & possibilem, qui quo modo inter se distinguantur non est hujus loci: Munus intellectus agentis est, conficere species intelligibiles, Intellectus vero possibilis est illas recipere, eisq; uti tanquam semine, quibus informatus intellectionem producat, nam ut D. Aug. saepe, *ex obiecto & potentia paritur notitia*, quae notitia mediante obiecto & intellectu agente fit hoc modo, & ordine, in primis namque obiectum sensibile debite applicatum producit suam similitudinem & imaginem, quae dicitur species sensitivam, qualis verbi gratia est visus, in qua species ei inherens facit ei obiectum praesens; & tunc potentia cum obiecto mediante specie generat notitiam sensitivam, quae dicitur exterior sensatio, virtute autem istius exterioris sensationis, alia ejusdem obiecti species producit in sensu interiori, qui sensus communis appellatur: eo quod omnium sensuum exteriorum obiecta percipiat; quae aliam speciem gignit phantasma vel species, phantastica dicta, quae materialis est & materiali modo representat obiectum, neque per illam obiectum redditur proportionatum intellectui ad intellectionem: cum enim intellectus sit entitas spiritalis, non potest in se recipere similitudinem materialem obiecti, insuper imaginativa non potest producere similitudinem spiritualem obiecti in intellectu, unde necessaria est alia quaedam virtus, vel potentia in anima rationali, quae speciem spiritualem obiecti per sensus exteriores percepti in intellectu imprimat, ut per eam obiectum constituat praesens intellectui, & sic intellectus concurrente illa specie loco obiecti producat notitiam intellectivam, atq; hoc modo ex obiecto & potentia paritur notitia spiritalis; potentia autem haec quae talem speciem spiritualem producat, vocatur intellectus agens tum ab Arist. 3. de Anima, tum apud Autores communiter; potentia vero in qua eadem species recipitur & producit, dicitur intellectus possibilis, cujus est producere cum illa specie intellectionem.

II. *Alius est intellectus agens animae patiens.*

Adverte secundò Utrumq; intelle-

ctum abstrahere posse naturas universales ab inferioribus: tunc autem dicitur abstrahere intellectus agens, quando producit speciem universalis secundum se, non representando aliquid ejus singulare: & quando sic naturam representat abstrahere dicitur: Intellectus vero possibilis tunc dicitur abstrahere, quando rem à suis inferioribus abstractam per intellectum agentem sibi porrectam cognoscit.

III. *Utrumq; intellectus possibilis abstrahere.*

Adverte tertio Praeter has abstractiones

intellectus possibilis & agentis, intellectum possibilem duobus modis rem posse cognoscere pluribus in existere; primò simpliciter; seu composito modo, seu judicative, tunc cognoscit rem esse in

IV. *Intellectus possibilis rem simpliciter cognoscere potest.*

in pluribus simpliciter, quando representat esse in pluribus, non iudicando an verè sit in pluribus nec ne? sicut verbi gratià, si ego cognoscerem hanc propositionem aer est calidus, vel istam, aer est humidus, nihil affirmando, vel negando an sit calidus, vel humidus, sed simpliciter hanc propositionem apprehendendo, tunc verò intellectus possibilis intelligit rem pluribus in existere modo composito, seu iudicativè: quando non solum apprehendit rem in existere pluribus, sed etiam sic esse iudicat; sicut si ego duas illas allegatas propositiones non modo apprehenderem, sed etiam verè iudicarem aerem esse calidum, aerem esse humidum, utraq; hæc cognitio naturæ in singularibus est comparativa, quia est cognitio unius cum ordine ad aliud, videlicet naturæ cum existentia, vel identitate eius in singularibus, sed prima vocatur comparativa simplex, & quod apprehendat tantum res absq; iudicio esse in inferioribus; secunda vocatur composita, eò quòd non tantum apprehendat simpliciter naturam esse in pluribus, sed etiam iudicat esse in pluribus: & hoc iudicium si fiat cum discursu dicitur cognitio discursiva; Utraq; hæc cognitio comparativa est duplex: alia est quæ comparatur res ad aliquid, quod est ex prima intentione, seu primò intentionaliter competit, alia, quæ comparatur res ad illud quod ei secundo intentionaliter competit.

Itaq; Circa hanc materiam quadruplex est sententia: Prima dicit universale Logicum fieri per abstractionem intellectus agentis, hoc est: per productionem speciei naturæ universalis demutatæ à suis inferioribus, absq; ulla cognitione intellectus possibilis: ita Scotus q. 3. Univ. Flander 3. Met. q. 3. cui favet D. Thomas 1. p. q. 87. a. 1. Fonseca &c. Secunda sententia dicit fieri universale per abstractionem intellectus possibilis absq; ulla comparatione ad inferiora talis naturæ, ita Durandus. Toletus q. 5. Univ. Tertia sententia dicit universale Logicum fieri per actum intellectus possibilis comparativum, nò simplicem, sed compositum. Quarta deniq; dicit universale fieri per cognitionem comparativam simplicem intellectus possibilis, illam videlicet, per quam intellectus apprehendit naturam in multis, absq; iudicio: hæc sequuntur Scotista omnes cum Scoto 2. d. 3. q. 1. estq; communior inter Thomistas testibus Complutensibus, eamq; tenet Ruvius. Joannes à S. Thoma q. 4. a. 2. & plures alii cum quibus tenendo ad questionem

Dico I. *Universale Logicum non fit per abstractionem intellectus agentis, vel possibilis præcisè.*
Hæc conclusio est contra primam & secundam sententiam, sed Probatur utraq; pars simul

Primo Universale Logicum debet esse proximè prædicabile de pluribus, sed natura, nec per abstractionem intellectus agentis, nec per abstractionem intellectus possibilis fit proximè prædicabilis de pluribus, ergò per nullam harum abstractionum fit universale; patet maior, quia per aptitudinem positam in definitione universalis Logici intelligitur aptitudo proxima ad prædicandam, prout etiam communiter recipitur; probatur etiam minor, Quia licet intellectus consideret naturam abstractam à suis singularibus, tamen nisi cognoscat existentiam

F. Amandi Hermann Logica.

tem in pluribus actu vel possibiliter, non potest eam prædicare de pluribus, ergò per solam abstractionem, tam unius quàm alterius intellectus non fit universale.

Probatur secundo: Natura generica & natura specifica eodem planè modo abstrahuntur ab inferioribus, sed genus & species sunt distincta universalia, ergò per solam abstractionem non potest fieri universale, consequentia sequitur in forma, & probatur adhuc: si universale fieret per solam abstractionem, non haberent genus & species unde distinguerentur, & in similitudine differrent: quia abstractio non esset ratio dissimilitudinis, ergò per solam abstractionem non fit universale. Dixi autem *notanter* in conclusione universale non fieri per abstractionem unius vel alterius intellectus præcisè, quia non negat abstractionem illam multum esse necessariam, nam cum universale sit unum in multis, quam unitatem & multitudinem non habet natura ex se positive & proximè, ideoq; requiritur, ut habeat aliunde, quam acquirere non potest nisi natura prius abstrahatur à suis differentiis individualibus. Sed in Contra

Arguitur: Natura fit singularis ex vi differentie contrahentis, ergò fit etiam universalis ex vi actus præcendentis illam à tali differentia. *æ. dist. conseq.* Fit universalis Metaphysicè concedo. Logicè nego consequentiam, Ratio est quia plus requiritur ad universale Logicum, quàm ad universale Metaphysicum Logicum enim requirit aptitudinem essendi *in* & prædicandi *de*, Metaphysicum verò requirit tantum aptitudinem Essendi *in*, quam acquirere potest vi solius abstractionis; nam tunc est in potentia proxima ut apprehendatur in multis, eo ipso autem quòd habet hanc potentiam ut sic apprehendatur in illis, non habet potentiam proximam ut prædicetur de illis, sed debet prius apprehendi in illis, & sic redditur proximè prædicabilis, quia dicit *de* supponit esse *in*

Instatur; Si natura ex vi abstractionis habet aptitudinem proximam ad essendum in multis, sic, ut possit statim concipi in multis, ergò etiam habet aptitudinem proximam prædicandi de multis, probatur consequentia, quia non potest concipi in multis, nisi quatenus intellectus prædicat illam de multis, ergò si habet potentiam proximam ut concipiatur in multis, habebit etiam potentiam proximam ut prædicetur de multis. *æ. negando conseq.* ad probationem nego ant. quia sine omni iudicio aut prædicatione, potest dari comparatio simplex unius ad aliud: possum enim per simplicem apprehensionem apprehendere unum cum alio, absq; eò quòd iudicè hoc esse hoc: ut patet dum apprehenduntur propositiones dubiæ, ad quarum prolationem intellectus quidem apprehendit prædicatum & subiectum in ordine ad se invicè, non tamè habet necesse, ut unū de alio afferret.

Urgetur: Si universale conciperetur vel concipi deberet veluti existens in multis, ut possit proximè de illis prædicari, conciperetur modo repugnanti universalis, ergò non habet necesse ut concipiatur veluti in multis: probatur ant. quia sic conceptum esset actu multiplicatum & divisum & ergò conciperetur

VII.

Q

ciperetur modo repugnanti, & (sed esse actu multiplicatum & divisum est repugnans universalis) probatur minor: quia universale debet esse quid unum, qualem unitatem non habet nisi per abstractionem. R. negando ant. cujus prob. majorem distinguo: sic esset actu multiplicatum & divisum si conciperetur per actum comparativum compositum, & prædicationem exercitam, concedo ma. si concipiatur actu comparativo simplici, & prædicatione signata, nego ma. & dist. similiter minoris nego consequentiam, ad probationem minoris dico, universale non modò debere esse unum, sed unum in multis: qualem unitatem non habet natura præcisè prout abstrahitur à singularibus, cum in tali statu potius una tantummodò sit, ut non multiplex, quare quidem verum est ad universale Logicum requiri unitatem & abstractionem, non tamen illam quæ naturam aliquam à parte rei præcisè considerat secundum sua prædicata essentialia, sed in quantum ab omnibus inferioribus simul sumptis abstrahitur ratio quædam communis, quæ consideretur veluti indifferens ut proximè omnibus & singulis inferioribus inquit.

VIII.
Nec per comparationem compositam.

Dico 2. Universale Logicum non fit per cognitionem comparativam intellectus possibilis, comparatione composita. Hæc est contra tertiam sententiam & Probatur Quia natura ante illam comparationem est proximè prædicabilis, ergò ante illam jam est factum universale Logicum, consequentia patet, quia per illum actum fit universalis Logicè, per quem est proximè prædicabilis de multis: probatur ant. quia si ante actualem prædicationem non esset proximè prædicabilis, non posset deinde actu prædicari, ergò si actu prædicatur supponitur in aliquo priori proximè prædicabilis, ergò ante talem comparationem compositam supponitur universalitèr

IX.
Sed per simplicem.

Dico 3. Natura fit universalis Logicè per actum intellectus comparativum simplicem, seu per eum, quo apprehenditur esse in multis sine omni iudicio. Ita Scotus 1. d. 23. q. 1. n. 3. & 4. d. 1. q. 2. n. 2. & Scotistæ communiter. Probatur Conclusio: Quia non potest aliquid prædicari de pluribus, nisi intellectus apprehendat esse in pluribus, ergò non potest natura prædicari, nec signatè, nec exercitè de suis inferioribus, nisi apprehendat illam natam aptam inexistere pluribus, antecedens patet, quia si non apprehenderet esse in pluribus, non posset prædicari de pluribus: probatur consequentia, quia non esset major ratio cur intellectus prædicaret naturam humanam abstractam de Petro & Paulo, quàm de Xantho & Buccéphalo, nisi quòd apprehendat illam esse in Petro & Paulo, & non in Buccéphalo & Xantho: ergò ut sic prædicetur, debet illam sic prius apprehendere, & consequenter nihil erit proximè prædicabile nisi apprehensum in illo.

Confirmatur Conclusio primò: Quia universale est unum in multis, & de multis, sed per solam comparationem natura habet esse in multis, ergò ante comparationem simplicem natura non est universalis; minor prob. Quia natura per abstractionem habet esse potius sine multis, & per prædicationem exercitam separatum à multis, & determinatum à multis, &

ad unum: ergò per solam comparationem simplicem fit universale.

Confirmatur secundò: Ex vi abstractionis natura non est magis prædicabilis de inferioribus, verbi gratià Socrate & Berka, quàm subijcibilis naturæ superiori, verbi gratià animali: sed est in differens ad utrumq; , ergò ut sit formalitèr universalis necesse habet ut comparatur ad inferiora sibi subijcibilia, & ut sit species subijcibilis, necesse est ut comparatur ad superiora quibus subijcitur. Per has probas Confirmationes sufficenter solvi possunt objectiones quæ contra hanc vel aliam superiorem conclusionem adferri possunt, Verum tamen clarioris enodationis gratià, probando non per comparationem, sed per abstractionem fieri universale, in Contra

Arguitur: Per abstractionem solam, & non per comparationem natura est una, & est in multis, ergò non per comparationem, seu simplicem, seu compositam natura fiet universalis, sed R. dist. Per abstractionem solam, & non per comparationem est natura una, & est etiam in multis eadem unitate quæ est una est etiam una in multis nego ant. alia concedo, Itaq; Natura est una per abstractionem sine multis, & in multis est per singularitates, quibus unitatem aliam natura abstracta non communicat quàm relativam quæ una natura & eadem respicit multa.

Instatur: Unitas illa relativa quæ natura respicit multa est unitas universalis per se, sed illa unitas etiam non est in multis, ergò per illam unitatem natura non est universalis; probatur consequentia, quia si natura retineret illam unitatem in inferioribus, tam homo quàm animal esset genus, & Petrus, vel Socrates species, sed hoc nequit dici, ergò sufficit ut natura sit abstracta ab inferioribus & in illis sit divisa, seu multiplex, cum non possit alitèr esse una in multis. R. negando consequentiam licet enim natura animalis verbi gratià, comparata per intellectum ad inferiora non retineat denominationem, vel intentionem generis in singulis inferioribus, ac proinde nec unitatem universalis formalitèr, retinet tamen unitatem fundamentalem, quæ est proximum fundamentum universalitatis, nam secundum eandem omninò rationem quæ intellectus concipit naturam communem abstractam, prædicat illam de singulis inferioribus & concipit illà esse divisam in illis.

QUÆSTIO IX.

De Prædicatione Universalis Logici.

Quia per 2. priores Questiones universale Logicum explicui per prædicabilitatem, quæ nihil aliud est quam terminandi actualem prædicationem potentia, hinc non abs erit paulò fufius de prædicatione aliquid dicere in particulari quæstione. Pro quo igitur advertendum est, prædicationem esse actum intellectus quo aliquid de alio iudicat, ut cum dicit homo est animal, Petrus est homo, unde etiam aliquid esse prædicatum actu aliud nihil est formalitèr quàm denominatio extrinseca desumpta ab huiusmodi iudicio; Quæ prædicatio (de alia hic non est sermo, quàm de vera & affirmativa) adæquatè dividitur in formalem & identicam: hæc est illa, vel quæ idem prædicatur de se ipso

X.

I.

Quid sit pro

d casu

Alia est ser

mali, alia

identica.

41

ut Petrus est Petrus; vel quæ prædicatur aliquid de alio quod se non habet per modum formæ ipsius, ut si dicas, misericordia divina est iustitia divina: Quod si verò nolis definitionem disjunctivam habere, dic, prædicationem identicam esse illam, quæ aliquid prædicatur de aliquo quod non includitur in ipso per modum formæ illius, & sic comprehendit etiam illam priorem quæ idem prædicatur de se ipso, quia non prædicatur de se ipso ut forma sui ipsius. Prædicatio formalis est illa, quæ aliquid prædicatur de aliquo per modum formæ, tunc autem prædicatur aliquid per modum formæ, quando aliquid prædicatur de alio vel per modum alicujus prædicati essentialis, ut Petrus est homo; homo est rationalis; vel per modum alicujus proprietatis, ut homo est visibilis; vel per modum accidentis ut paries est albus; vel per modum formæ denominantis subiectum, vel aliquam rem extrinsecè, ut paries est visus: Prædicatio formalis iterum alia est directa, alia indirecta, prima est, quando prædicatur id quod aptius est prædicari, &c: secunda est quando prædicatur id quod minus aptum est prædicari ut animal est homo, vivens est animal &c.

His prænotatis In hac quaestione potissimum examinandum venit, quomodo concreta & abstracta de se invicem prædicentur, Pro quo iterum notandum duplex esse abstractum & concretum; substantivum scilicet, & accidentale, Concretum substantivum est, quod significat aliquam formam quæ in concreto solimmodo potest prædicari in quid de aliquo, ut homo, animal, albedo, &c. Accidentale verò est id, quod potest prædicari de aliquo in quale; ut album, dulce, rationale &c. non dicuntur tamen accidentalia, quasi formaliter significarent accidens, sed quia significantur ratione adjectiva, & prædicantur per modum adherentium: Concretorum substantivorum abstracta sunt humanitas, animalitas, albedinitas &c. Accidentaliū verò albedo, dulcedo, rationalitas &c. quibus præmissis

Dico 1. Concreta tam substantiva quam accidentalia possunt de alio concreti prædicari, prædicatione formali: dummodo abstractum concreti quod prædicatur, sit superius ad illud de quo prædicatur, aut sit forma illius. Est communis & Probatur; Quia hæc prædicationes sunt formales Petrus est homo, homo est animal &c. homo est rationalis, album est coloratum, sed non ob aliam rationem, nisi quia prædicati abstractum est superius ad subiectum vel forma illius ergò.

Dico 2. Concreta non possunt prædicari prædicatione formali de propriis abstractis, nec e contra abstracta de suis concretis: Est etiam communis. Probatur i. p. Quia eò ipso quo quis concipit abstractum ut tale, non concipit ipsum cum identitate aut conjunctione ad illud à quo abstrahit, ergò nequit prædicari de ipso. Prob. consequentia. Quia impossibile est intellectum prædicare aliquid de alio, nisi quatenus ille concipit identificata sibi, aut conjuncta ad invicem. Confirmatur, Quia si hæc propositio humanitas est homo esset vera, etiam hæc esset vera, Verbum Divinum assumpsit hominem, sed hæc est falsa, ergò & præcedens; minor est de fide, quia verbum Divinum solum assumpsit naturam humanam sine subsistentia, homo autem significat naturam cum subsistentia: pro-

F. Amandi Hermann Logica.

batur sequela ma. quia hæc est formalis consequentia, humanitas est homo, verbum Divinum assumpsit humanitatem, ergò assumpsit hominem. Ex hac parte probata patet etiam secunda pars nam cum prædicatio sit actus intellectus nunquam poterit aliquid de alio prædicare, nisi apprehendat esse illud in alio: ergò intellectus nequit prædicare abstractum de suo concreto.

Dices primò: Hæc est bona prædicatione Quantitas est quanta, sed quanta est concreta, & quantitas est abstracta, ergò concretum potest prædicari de suo abstracto: R. dist. ma. si quanta significat idem ac habens quantitatem, ut est accidens absolutum prædicamentale est vera prædicatione nego ma. si quanta significet ac habens extensionem concedo ma. taliter igitur quantitas est quanta, quia habet suam extensionem tanquam suam proprietatem, sic etiam ista prædicatione potest esse bona, albedo est alba, si ly alba significet aliquam proprietatem albedinis verbi gratia disgregationem visus, unde nego mi. quantitatem ut est accidens prædicamentale esse abstractum quanti, quia quanta significat idem ac extensa, cujus abstractio erit extensio.

Dices secundò: Hæc sunt veræ prædicationes: Deus est Deitas, ens est entitas, res est realitas, homo est entitas, album est realitas, ergò. R. ad primam negando ant. Loquendo de prædicatione formali; vel dist. consequ. quando abstractum est simpliciter infinitum, concedo, quando non est, nego consequentiam. Ad alias nego etiam ant. si per ens & rem intelligi velint concreta, & per entitatem & realitatem abstracta ut patet in Conclusionem; Unde illæ duæ prædicationes ens & entitas res & realitas sunt prædicationes identicæ, quia licet quantum ad voces videantur concreta & abstracta, in re tamen prorsus faciunt idem synonymicè cum sensu res est res, ens est ens; Ultima verò duæ homo est entitas, album est entitas etiam non sunt prædicationes abstracti de concreto, sed prædicationes absolute superioris de inferiori, cum hoc sensu, homo est res, album est ens; hinc absolute ad tales & similes propositiones dicitur quod non sint ultimæ & simpliciter abstractæ, sed apparent tales esse, cum tamen tales non sint, nisi secundum quid.

Dico 3. Abstractum concreti superioris, non potest prædicari de abstracto concreti inferioris, nec formaliter, nec identicè, verbi gratia animalitas non potest prædicari de humanitate. Est Scoti 1. d. 5. q. 1. n. 5. & d. 8. q. 1. n. 2 5. quem præter suos sequitur Ruvius, Suarez dist. 6. Met. Sect. 10. Prob. quia impossibile est quod intellectus verè prædicet unum de altero, nisi consideret illud ut in existens ipsi, & conjunctum cum illo, quia radix veritatis propositionis est conjunctio extremorum, sed quando considerat animalitatem verbi gratia ut abstractam, non considerat ipsam ut conjunctam cum humanitate, ergò non potest de illa prædicari. Confirmatur Quia non magis conjungitur animalitas cum humanitate, quàm homo cum humanitate, sed non obstante hac conjunctione hominis cum humanitate, homo non potest prædicari de humanitate, ergò etiam non obstante hac conjunctio-

ne

V.

VI.

VII.

Abstractum concreti superioris non potest prædicari de abstracto concreti inferioris.

Q 2

ne animalitas non poterit prædicari de humanitate.

VIII.

Dices. Hæc prædicatio est formalis, albedo est color, sed tam albedo quam color sunt abstracta, ergo abstractum superius prædicatur de inferiori: color enim est quid superius ad albedinem. R. dist. mi. color est abstractum respectu colorati concedo mi. respectu albedinis nego minorem, nam cum non sit ultimè abstractum respectu ipsius albedinis, habebit rationem concreti substantialis sicut animal respectu hominis, si autem color esset ultimè abstractum, non posset de albedine prædicari, ut albedo est coloreitas. Paritas etiam de abstractis divinis ad humana non valet, quia hæc ut abstracta nullam habeat identitatem, divina verò licet abstrahantur à suis concretis ut Misericordia à misericorde, Justitia à justo &c. habent tamen rationem in qua identificentur & à qua non abstrahunt scilicet infinitatem ratione cuius etiam ut abstracta inter se semper identificantur.

IX.

Concretum abstractis superioris non potest prædicari de abstracto concreto inferioris.

Quæres. An Concretum abstracti superioris, possit prædicari de abstracto inferioris concreti, verbi gratià humanitas est animal, licet non possit dici humanitas est animalitas? R. negativè quia quoties prædicatum dicit aliquid quod non importatur à subiecto explicitè, vel implicitè, tunc nequit prædicatio esse vera: ut patet de anima aut corpore humano, de quibus non potest dici quod sit homo, licet homo concipiatur ut includens utrumque, sed animal includit aliquid quod non importatur explicitè, aut implicitè ab humanitate, includit enim supposititalitatem, aut aliud à quo abstrahit humanitas, nimirum illud, quod dicit homo supra humanitatem, ut omnes fateri necesse habent, ergo. Confirmatur, Quia verè humanitas ut sic est pars istius animalis, quòd de ipso prædicari potest: ergo illud animal nequit prædicari de animalitate, sicut nullum totum potest prædicari de parte sua in abstracto. Pro Complemento quæstionis collige secundas intentiones eodem modo posse prædicari de se invicem; ita scilicet: ut superiora de inferioribus possint prædicari in concreto, non in abstracto, nec unum abstractum superius de alio abstracto inferiori, unde verum est dicere quòd genus sit universale, non verò quòd sit universalitas, nec genereitas sit universalitas, patet à paritate rationis, nihil enim interest quantum ad hoc, quòd prædicata sint primæ vel secundæ intentionis, sed quòd concipiantur cum ordine & connexionem ad subiectum.

QUÆSTIO X.

De Numero Universalium.

I.

Communis Sententia Numerum universalium usq; ad quinarium extendit, nempe universale dividendo in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. A qua sententia plurimi discesserunt: hinc etiam variæ ortæ sunt opiniones, Nam imprimis fuere nonnulli Græci antiqui, qui duo tantum universalia assignabant, & inter hæc ea præsertim, quæ prædicantur in quid: & hujus sententiæ fuit Dexippus in prædicamentis cap. 24. Boëthius, Averfa q. 8.

Variæ sententia.

sect. 16. sed quia universale definitur esse illud, quod prædicatur de pluribus, non dicendo in quid, & consequenter hoc non requisito frustra alia species verbi gratià præter genus & speciem, differentia, proprium & accidens, excluduntur; Alii e contra numerum non minuunt, sed augent: nam Joannes Major, Scoti discipulus sextum addidit, cuius etiam sententiæ fuit Cajetanus apponens pro sexta specie, individuum vagum; sed malè: tum quia quidam homo non est quid determinatum, tum quia omnibus aliis speciebus universalium potest addi *ly* *Omnis* non verò individuum vago, non enim benè dicitur: Omnis quidam homo, ergo individuum vagum universale esse non potest, Camerarius septem, de Raconis tract. I. de universal. octo universalium species statuit, an in hac materia communem Peripateticorum sim secutus sententiam, statim me declarabo

Interim Notandum primò;

in favorem communis sententiæ, Quòd universale ut sit universale, debet prædicari de suis inferioribus eodem genere prædicationis, ita videlicet: ut si de uno inferiori prædicatur in quid incompletè, de omnibus inferioribus sic prædicari debeat. Secundo; Illud quod est universale, debet esse ens prædicamentale: unde à ratione universalis excluduntur transcendentalia ut ens unum, verum, bonum &c. & hoc idè, quia Porphyrius egit de prædicabilibus in ordine ad prædicamenta. Tertiò; Universale debet esse ens realitè completum, unde excluditur anima rationalis, materia prima, &c. non tamen differentia Metaphysicæ: quia esto sint incompletæ formalitè, tamen sunt completæ realitè: quia realitè identificantur entibus completis. Quarto; Universale debet esse quid incomplexum, hinc excluditur definitio, & alia complexa. Quintò; Universale debet esse quid determinatum: unde excluditur individuum vagum, quæ omnia communis sententia (excepto ultimo) gratis supponit. Interim quoniam ad pleniorè quæstionis cognitionem requiri videtur scire quidnam nomine generis, speciei &c. intelligatur, quamvis de singulis speciatim infra fufius agam, idcirco

Notandum secundò; Genus semper

debere esse in pluribus specie differentibus & prædicari de pluribus specie differentibus in quale quid incompletè, sic prædicatur animal de homine, bove, &c. homo est animal, bos est animal, &c. speciem autem de pluribus debere prædicari solo numero differentibus in quid completè, ut Petrus est homo, Paulus est homo &c. Differentia autem semper debet prædicari in quale essentialè, ut Petrus est rationalis; Proprium in quale accidentale necessariò & convertibilitè, ut homo est risibilis; Accidens quantum prædicabile, prædicari debet in quale accidentale contingenter, ut Petrus est albus, Paulus est doctus. His itaq; præmissis.

Dico I. Scando præcisè in rationibus plura possunt admitti universalia, quam quinq;. Ita præter Authores supra citatos, Averfa, Ballolus, in quod etiam ipse D. noster 3. d. 7. q. 1. §. Quarto videndum inclinare videtur, quæ pauci in typis proponunt, nonnulli tamen in suis defendunt manuscriptis. Probatur

II. Quomodo universale debet prædicari de inferioribus.

III. Genus semper debet prædicari in completè.

IV. Possunt admitti plura quam quinq; universalia.

Probatur igitur Concl. primò:

Albedo respectu hujus albi, & respectu hominis albi est universale, sed nullum ex quinque Porphyrianis, ergò stando præcisè in ratione plura admitti possunt universalia. Probatur ma. quia ipsi competit definitio universalis quòd sit unum apertum esse & prædicari de multis: probatur mi. Quia non est genus, nec species, utpotè cum non prædicetur in quid, nec differentia, nec proprium, nec accidens, ergò aliquid aliud distinctum.

Dices; Ad universale non sufficere ut

prædicetur de pluribus cum sui multiplicatione, sed etiam requiritur quòd sic debeat prædicari eodem genere prædicationis, quia nisi prædicetur eodem genere prædicationis, non scietur cujus universalis secundam intentionem fundabit. Sed contra Infito: Frustra & sine fundamento requiritur, quòd universale debeat prædicari eodem genere prædicationis, quia hoc non sufficit ex eo, quod hoc tanquam necessarium requirit torrens communis Porphyrianus: quia hoc non est impugnare conclusionem asserentem: stando præcisè in ratione plura admitti posse universalia; quia tunc stabitur auctoritati, & ut supra notabili primo dixi, gratis Authores allegatas condiciones tanquam necessarias requirunt. Deinde quando dicitur rationem conditionis asserendo quòd alioquin non scietur, ad quodnam universale spectaret, si non deberet eodem genere prædicationis prædicari, bene id dicitur, sed ego ex hinc infero eò quòd non possit assignari ullum universale nunc existens, ad quod talis prædicatio duceretur, quod divisio in quinque species non sit adæquata, sed posse addi plura universalia.

Probatur Conclusio secundò:

Homo verè prædicatur de Christo, dicendo, Christus est homo, sed nulla prædicatione ex quinque Porphyrianis, ergò divisio illa non est adæquata.

Probatur Conclusio tertio:

Animal respectu Petri & Pauli fundat aliquam secundam intentionem universalis, non generis, nec speciei, nec differentia, multò minus proprii & accidentis, ergò ultra quinque illas assignatas species plura universalia admitti debent stando præcisè in rationibus; major patet quia animal est prædicabile de Petro & Paulo; minor probatur, quia non est generis, utpotè cum genus debeat prædicari de pluribus specie differentibus; nec speciei, quia species debet prædicari de pluribus numero differentibus in quid completè, animal verò licet prædicetur de pluribus, nempe Petro & Paulo, non prædicatur tamen de eis in quid completè, sed incompletè; Quod autem non sit etiam differentia, proprium, vel accidens paritèr patet, quando quidem animal non prædicatur in quale de Petro & Paulo, differentia verò proprium & accidens debent prædicari in quale, ergò.

Dices; Animal prædicari de Petro &

Paulo veluti species, ergò. Sed contra species debet prædicari de pluribus solo numero differentibus, & quidem completè, animal autem non modo prædicatur incompletè de pluribus,

sed etiam prædicatur de illis plus numero differentibus, quia potest prædicari tam de Petro, quam de Xantho, qui non modò numero, sed etiam specie inter se differunt, adeoq; non poterit prædicari de illis veluti species, cum tamen bene de illis prædicetur & nullo ex quinque prædicabilibus, signum est quòd plura admitti possint & debeant.

Probatur Conclusio ultimò:

Idèò præcisè genus & species prædicabilis faciunt plura, & duo prædicabilia specie distincta, quia prædicatur de pluribus in quid, unum de pluribus specie distinctis, & alterum de pluribus numero distinctis, ergò differentia subalterna quæ prædicatur de pluribus specie distinctis in quale quid verbi gratia, sensitivum de homine & bruto, & differentia infima, quæ prædicatur tantum de pluribus solo numero differentibus in quale quid verbi gratia de Petro & Paulo facient duo distincta prædicabilia ab omnimoda paritate.

Dices; Non idèò præcisè genus & spe-

ciem facere duo prædicabilia specie distincta, quia unum prædicatur de pluribus specie differentibus, & alterum de pluribus numero differentibus, sed quia unum completè & alterum incompletè, Differentia verò infima, & differentia subalterna utraq; prædicatur incompletè scilicet per modum partis essentialis. Sed Contra 1. Ergò animal quando prædicatur de Petro & Paulo faciet universale distinctum à specie, quia prædicabitur de pluribus numero differentibus, non completè ut species, sed incompletè. Contra 2. Casu quo per impossibile species infima non prædicaretur completè, sed tantum incompletè, adhuc sufficientèr distinguetur à genere per hoc, quòd genus petat prædicari de pluribus specie distinctis, & species de pluribus solo numero distinctis, ergò à pari de facto sufficientèr distinguetur differentia subalterna à differentia infima, quia una prædicatur in quale quid de pluribus specie distinctis, altera in quale quid de pluribus solo numero distinctis.

Dico 2. Probabiliter quoq; in rationibus præ-

cisè stando desendi potest, non nisi quatuor esse prædicabilia. Ita Aversa & Torrión, quæ sententia probabilis etiam videtur Conimb. q. 7. universi art. 1. & probatur, omne quod prædicatur, vel prædicatur incompletè in quid, vel accidentalitèr; si accidentalitèr, vel in quale quid essentialitèr, & est differentia; vel in quale necessarium, & est proprium; vel in quale quid contingenter & est accidens: & sic non erunt nisi quatuor universalia prædicabilia, ergò stando præcisè rationibus pauciora admitti possunt: Prima pars majoris circa quam sola est difficultas. Probatur, Quia si non omne quod prædicatur in quid, prædicetur incompletè, esset species, sed hæc non est, ergò omne quod prædicatur in quid prædicatur incompletè; major est sententia communis: probatur minor, idèò animal non dicitur completè prædicari de homine, quia non dicit totam naturam hominis, sed homo non dicit etiam totam naturam Petri, ergò homo non prædicatur de Petro completè ma. patet, minor probatur. Quia homo non dicit diffe-

IX

X

XI

Postum est quatuor.

Q 3

differentiam individuantem, ergo etiam incompletè prædicabitur.

XII.

Dices. Ideò hominem completè prædicari, quia dicit totam naturam Socratis, verbi gratiã, non sic autem dicit totam eorum naturam animal, quod proinde incompletè prædicatur. Contra ergo eodem modo dici potest animal prædicari, quia dicit totam naturam communem hominis sibi immediatè subiecti. Hæ conclusiones sic propositæ facillè quidem defendi possunt, attamen ne totalitèr à communi declinem.

XIII.

Stando auctoritati & communis sunt quinque.

Dico 3. *Stando auctoritati, & communiori sententiæ, Universale bene dividitur, & adequatè in quinque præallegata membra, videlicet: in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens.* Hæc est communissima post Porphyrium. Probatur Conclusio, Quia tot sunt universalia quot sunt diversi modi universalitatis, & prædicabilitatis, sed modi diversi universalitatis & prædicabilitatis sunt tantum quinque, ergo etiam tantum quinque erunt universalia, prob. mi. Quia natura communis quæ universalis denominatur, vel est in multis essentialitèr, vel accidentalitèr, si essentialitèr, vel est tanquam tota essentia, & est species, quia species prædicatur in quid completè: vel non est tanquam tota essentia, sed tantum veluti pars essentia, & tunc, vel est tanquam pars contrahibilis, & sic est genus, vel tanquam pars formalis & contractiva, & sic est differentia, quæ respicit genus veluti formæ actans & determinans illud: si verò natura est in pluribus accidentalitèr, vel promanat ab essentia rei, & sic est proprium, vel provenit merè ab extrinseco, absq; necessaria connexionè & dependentia ab essentia, & sic est accidens: Consequentia principalis etiam patet, quia prædicari sequitur inesse, ergo tot modis aliquid prædicari poterit, quot modis aliquid inest, hinc quidquid prædicatur de pluribus, aut prædicatur in quid, vel in quale, si in quid, vel dicit totam essentiam, & sic est species: vel partem, & sic est genus, si prædicatur in quale, vel prædicatur in quale essentialitèr, & sic est differentia, vel in quale accidentalitèr, & hoc, vel necessariò, & sic est proprium, vel in quale accidentale contingentèr, & sic est accidens, ergo, Confirmatur Conclusio ex auctoritate Scoti dicentis quinque tantum esse universalia, subintellige cum locutum fuisse de præcipuis speciebus secundum mentem Porphyrii, & communiorè antiquorum sententiam; alioquin esset expressè Scotus contra præteritas duas conclusiones, Et eum ex mente Porphyrii locutum fuisse, exinde patet, nam cum argumenta contra adequatam divisionem posuisset, subdit, *in contrarium est Porphyrius.* Sed in contra

XIV.

Non sunt plures naturæ quam quinque secundum modum essendi.

Arguitur 1. Omnes naturæ communes universales metaphysicè sunt specie distinctæ, & plures quam quinque, ergo divisio universalis in quinque species allegatas non est adequata. R. dist. ant. sunt specie distinctæ secundum modum existendi in pluribus nego ant. alio modo transeat ant. Itaq; licet naturæ communes secundum quod considerantur ut naturæ præcisè tales, vel tales, sint specie distinctæ primò intentionalitèr, non sunt tamen specie

distinctæ secundum modum, quo sunt naturæ aptæ existere in pluribus, nimirum tanquam tota essentia,

Instatur; Si res considerentur etiam secundum modum quo existunt in pluribus, adhuc plura debent admitti universalia quam quinque, ergo nulla solutio prob. ant. quia modus essendi rerum constituit decem prædicamenta, ergo adhuc debent plura admitti quam quinque. R. negando ant. cum ant. probationis, quia aliud & longè diversum est dicere modum essendi rerum constituere prædicamenta, aliud modum inexistendi, prior, prædicamenta constituit, posterior prædicabilia, quæ numero tantum quinque sunt; qui modus inexistendi non est quintuplex. Sed probando quod nec ex solo modo inexistendi possint desumi quinque prædicabilia

Urgetur. Ex 1. Top. cap. 12. Tot modis dicuntur unum oppositorum, quot reliquum, sed singularia quæ sunt opposita universalibus sunt infinita, ergo etiam universalia, ad hanc instantiam. R. cum Doctore ex Mastrio, sensum illius proportionis esse, Quot sunt significata unius oppositi, tot esse & alterius; Nam quot modis accipitur unum, tot modis accipitur & multum, quot modis accipitur idem, tot modis accipitur diversum genere, specie, numero, non verò est vera quantum ad numerum suppositorum, quia album & nigrum, iustus & iniustus sunt opposita, non est tamen necessè ut tot sint supposita nigredinis, quot albedinis, nec tot debere esse iustos quot iniustos.

Arguitur 2. Definitio est prædicabilis de pluribus, & non est aliquod ex assignatis quinque, ergo dantur plura prædicabilia quam quinque. R. dist. consequ. plura prædicabilia incomplexa nego consequentiam, complexa concedo consequ. In præsentia autem non est sermo nisi de prædicabilibus incomplexis, non verò complexis.

Instatur. Si sermo esset de prædicabilibus tantum in complexis, species non esset aliquod prædicabile, ergo non modò de incomplexis, verum etiam de complexis egisse Porphyrium dicendum est: probatur ant. Quia species est quid complexum constitutum ex genere & differentia. R. negando sequelam, ad probationem dico, speciem & definitionem continere quidem plura, sed non eodem fieri prædicationem, nam definitio explicitis terminis prædicat plura de aliquo, non verò sic species.

Arguitur 3. Omnibus illis rationibus quæ adductæ fuere pro probanda prima & secunda Conclusionè, quæ licet satis difficiles sint, si non problematicè, sed præcisè sententiam communem sequi vellet, ens sit solvere deberet.

Ad primam ergo dicendum esset, albedinem prout abstractit ab hac numero albedine & homine albo, ad nullum universale, seu prædicabile directè reduci, sed tantum indirectè, ita videlicet, ut albedo quæ prædicatur de hac albedine reducatur ad speciem, prout verò prædicatur de homine, reducatur ad quin-

XV.

Argumentum secundum

XVI.

Tertium

XVII.

Quartum

tum predicabile. & sic albedo ut sic non esset universale, quia non predicatur eodem genere predicacionis de suis inferioribus, nec juvat dicere illud non poni in definitione universalis, nam sufficit id omnes interpretes requirere, quorum authoritati proinde standum.

Ad secundum Resp. I. Predicacionem qua predicatur homo de Christo, spectare ad quintum predicabile; quia predicatur separabiliter & contingenter: sed quia obijci posset quod non posset ad illud spectare, quia quintum predicabile debet predicari in quale contingenter, qualiter homo non predicatur, hinc R. 2. Illud esse speciale predicabile & supernaturale, Porphyrius autem & communis loquitur de predicabilibus naturalibus.

Ad tertium fundam. R. Animal tunc quando predicatur de Petro & Paulo, non predicari tanquam speciem, ob rationes ibi assignatas, predicari tamen tanquam genus; Quod si dicas, genus debere predicari de pluribus specie differentibus, R. debere predicari de pluribus specie differentibus primario & essentialiter, ex hoc tamen non sequi quo minus predicetur secundario, & per accidens de inferioribus suarum specierum, si quidem constituit & est de essentia cujuslibet inferioris, unde quando predicatur animal de Petro & Paulo, non predicatur species, nec ullum aliud prater genus, non quidem primario, sed secundario. Imo ad genus non requiritur quod actu predicetur de pluribus specie differentibus, sed quod sit predicabile per quod non tollitur quia possit etiam predicari de individuis.

Ad quartum Resp. sicut ibi ad primam replicam responsum est, ad secundam dico, Communem sententiam non curare quid per possibile, vel impossibile esset, sed quid vere est. Deinde esto differentia subalterna de pluribus specie distinctis predicetur & infima de solo numero distinctis, quia tamen predicantur eodem genere predicacionis, non facient 2. universalis.

Ad fundamentum secundae
Concl. R. Differentiam individuantem non esse de essentia Petri; Quod si dicas, illud quod essentialiter facit unum numero, est de essentia eius, sed differentia hoc facit, ergo. R. differentiam facere unum numero, tanquam conditionem sine qua non, & non tanquam partem essentialem.

QUESTIO XI.

An divisio universalis in quinque predicabilia sit univoca, & generis in species;

Hæc questio potissimum procedit ex suppositione sententiae communis, nam si quis plura admitteret universalis ut supra posui, nec univocationem, nec etiam divisionem generis in species fateri deberet; Verum tamen nec etiam in ipsa communi sententia questio omnino caret difficultate, nam Albertus tract. 2. de predicabilibus cap. 9. universale ad quinque predicabilia esse analogum, quem sequuntur plures alii, ut Niger, Vallius & etiam ante eum tenebant Ammonius, Avicenna & Simplicius qui

insuper negarunt esse generis in species. Contra vero Scotus q. 8. universi. Scotista, Thomista & Recentiores plurimi tenent divisionem illam vere esse generis in species, quare cum Ratio Alberti parum me moveat, contra eandem.

Dico I. Universale bene predicatur univocè de omnibus illis quinque. Ita Scotus supra: Probatur, Quia tunc dicitur aliquid predicari de pluribus univocè, quando divisum secundum idem nomen, & eandem rationem principaliter per illud significatam predicatur de membris dividendis, sed hoc contingit in proposito, ergo. Probatur minor, quia quodlibet istorum est unum natum aptum dici & predicari de pluribus, sed per hoc definitur universale, ergo secundum idem nomen & eandem rationem predicatur universale de illis membris dividendis.

Dices cum Alberto. Universale prius contrahitur ad genus, & predicatur de eo, & per posterius predicatur de aliis, ergo non est univoca divisio. R. cum Scoto negando consequentiam, nam illud non obstat, Quia in omni genere est aliqua species, quae perfectius participat naturam genericam, quam alia, verbi gratia, homo perfectius participat naturam & rationem animalis, quam brutum, si tamen sermo sit de predicacione Logica, non vero participatione Metaphysica, tunc aequaliter participabit quodlibet illorum membrorum rationem universalis, scilicet esse predicabile de pluribus, Maffrius putat concedendam tamen esse aliquam analogiam, tum propter rationem datam, scilicet, quod genus magis participet & perfectius naturam universalis, tum quia prima duo predicantur in quid, posterora in quale, quae analogiam sapiunt, attamen hæc analogia non est talis quae univocationem excludat.

Dico 2. Nullum datur universale Metaphysicum primo intentionaliter sumptum, quod esset genus ad omnia universalis Metaphysica. Videtur esse conformis Doctori q. 8: universi. & probatur, Quia nulla natura primo intentionaliter sumpta est communis univocè omnibus universalibus Metaphysicis, ergo ant. probatur. Nam si esset aliquod tale universale, esset ens ut sic: sed hoc non est, ergo, major patet, quia non est aliud assignabile; minor probatur, Nam ad rationem universalis requiritur, quod sit quid determinatum, ens autem ut sic, ad nullum est determinatum certum predicabile, ergo. Deinde sequeretur, Quod hæcitas esset universalis: quod probo, quia illud est universale, quod in se habet naturam universalem, ens esset tunc in hæcitate, ergo hæcitas est universalis.

Dico 3. Universale Logicum secundo intentionaliter sumptum, est genus ad quinque predicabilia. Hæc est communis utriusque Scholæ contra Boethium & Avicennam. Probatur, Quia universale ut sic predicatur de omnibus per modum generis, ergo; prob. ant. Quia de singulis verum est essentialiter dicere, quod possint predicari de pluribus, in quo tanquam in genere omnia conveniunt; & differunt specie in hoc, quod unum predicetur ut tota essentia, aliud ut

II. Universale bene predicatur de illis.

III.

IV. Nullum datur universale Metaphysicum quod esset genus.

V. universale Logicum est genus.

pars

pars essentialis materialis, aliud ut pars essentialis formalis, aliud ut accidens inseparabile, & aliud ut separabile, ergò prædicatur de illis tanquam de specie differentibus in quid incompletè. Sed in contra

VI. Argumentum in contraria.

Arguitur, Si universale esset genus respectu illorum quinque, prædicabilium, sequeretur quod esset superius & inferius, sed hoc repugnat, prob. seq. Esset superius, quia genus non esset autem, quia contineretur sub genere primo prædicabili, ergò. R. dist. ma. secundum eundem respectum, nego majorem: secundum diversum concedo & dist. similiter mi. nego consequentiam, R. 2. dist. eandem ma. superius per se, & inferius per accidens, concedo ma. superius per se, & inferius per se, nego ma. Itaque, universale ut sic esset per se genus, & superius prædicabilium, genus verò primum prædicabile, est per accidens superius respectu universalis ut sic: hæc enim prædicatio Genus primum prædicabile est universale, est superioris de inferiori per se: sicut hæc, homo, est animal, hæc verò prædicatio universale est genus est per accidens similis huic, animal est genus. Sed

Instatur. Ad minus sequeretur genus futurum speciem quod repugnat, quia disparatè sibi opponuntur, R. dist. sequelam, esset species formalitèr, nego majorem, denominativè concedo sequelam. Itaque, pro majori intelligentia & pro facili plurium aliarum objectionum solutione, Nota ex Doctore unam intentionem secundam posse fundari super aliam, acceptam ut quid, ac eam denominare, seu de illa prædicari ut modus, hoc enim esse commune omnibus secundis intentionibus dicit Doctor, quòd qualibet possit accipi ut quid, vel ut modus; quando enim est illud quod intelligitur, tunc est ut quid, quando est ratio sub qua aliquid intelligitur tunc accipitur ut modus, hinc vera est illa prædicatio, universale est genus, quia universale sumitur ut quid, genus ut modus, quatenus est ratio sub qua consideratur universale, dum ad sua inferiora refertur. Eodem modo dici potest, quòd genus, differentia, proprium, & accidens, sint species denominativè & accidentalitèr, non verò formalitèr.

Urgetur. Nulla duo opposita possunt de se invicem prædicari, sed genus & species sunt opposita, ergò non possunt de se invicem

prædicari, ergò nec genus erit species. R. dist. mi. genus & species sunt opposita si utraq; accipiantur ut quid, aut utraq; ut modus concedo mi. si unum accipiantur ut quid, & alterum ut modus nego mi. Quando igitur dicitur quòd genus sit species, intentio generis sumitur ut quid, intentio speciei, ut modus, adeòq; non prædicantur de se invicem veluti opposita.

Dico 4. Divisio universalium in præallagata quinque, prædicabilia, non est immediata. Est etiam communis, & probatur, Quia universale prius dividitur in illud, quòd prædicatur essentialitèr, & in illud quòd prædicatur accidentalitèr, sed quocumq; aliquid viciniora membra habet, & iis prætermisus enumerantur alia, non est divisio immediata, ergò: cum universale prius dividatur per illas duas differentias, constituet duo genera intermedia, quæ postea iterum in illas 5. species subdividuntur, divisio non erit immediata.

Dices; Hinc sequeretur plura dari universalium quam quinque; quia si duo illa genera intermedia addantur, jam septem expressè erunt, ergò divisio est immediata. R. dist. sequelam: sequeretur dari plura universalium quam quinque, quæ essent species infimæ, nego sequelam, quæ essent species subalternæ, transeat. Itaque, hic est sermo de universalibus quantum ad species infimas, non verò quantum ad subalternas. Imò quia genera illa intermedia in inferioribus reperiuntur non faciunt propriè numerum.

Pro Complemento hujus questionis, totiusq; disputationis de Universalibus in communi, Adverte difficultates quas noluit solvere Porphyrius Chrysaorii consulens juventuti, facillimè posse solvi, quarum prima erat: An genera & species sint in rerum natura à parte rei? R. enim quòd capiendò genera illa & species pro naturis illis quæ sic denominantur, non esse dubium quin dentur genera & species à parte rei, in singularibus tamen, & similiter patet quòd quædam ex his generibus sint corporalia, quædam spiritalia, quædam substantialia, quædam accidentalia, quòd erat secunda difficultas. Ad tertiam etiam questionem quæ quærebatur utrum universalium essent in sensibilibus, an extra (id est in singularibus) patet quòd sint in illis, quatenus identificantur illis, extra illa quatenus formalitèr distinguuntur ab illis.

DISPUTATIO II.

DE GENERE, PRIMO PRÆDICABILI.

Sequor ordinem Porphyrii, & communem: & post sufficientem majorum difficultatum elucubrationem de universalibus in communi, ad particularia descendò, quæ proinde eò faciliora erunt, quòd melius communiora fuerint præcognita, ideoq; sit

QUÆSTIO I.

Quid sit Genus?

Tradit Baro plures fuisse qui genus definibile non esse existimarunt: inter quos recenset Ammonium, Boethium, Vilipandum, &c. in margine; verum quidem est rem esse intricatissimam, in qua explicanda & solvenda

quilibet ferè alium & alium adhibet modum; attamen, antequam ad resolvendam questionem progrediar: Notandum in præsentiarum sermonem non esse de Genere Grammatico, quo aliquid dicitur esse generis fœminini, vel masculini; nec de Genere Rhetorico & Oratorio, qualia sunt genus demonstrativum, & judiciale; nec de Genere Politico, quo sensu dicuntur omnes homines

homines genus humanum, & illi qui in certa propagine suam originem & principium ducunt, ab eo qui genuit, vel etiam in loco quo quis genitus est, sicut quidam apud Virgilium eecinit: *Italiam quero Patriam genui a Jove summo*. Sed est sermo de genere logico: Cujus Porphyrius assignavit duplicem definitionem, vel potius descriptionem; Prima est ista, *Genus est id, sub quo collocatur species, quae duplicem patitur sensum & explicationem: ut primò significet quoddam genus respiciat speciem tanquam superius sum inferius in genere praedicationali; deinde ut idem significet ac quod genus sit id, quod respiciatur à specie tanquam superius ab inferiore: Secunda definitio est, quod genus sit illud, quod praedicatur de pluribus specie differentiibus, quod quid est, ita habet cap. 2. Unde hic inter Auctores controversatur, an detur aliqua vera definitio generis, vel utrum solum aliqua descriptio, & utrum secunda à Porphyrio tradita sit definitio essentialis & quidditativa, quae etiam strictè dicta appellatur, vel utrum tantum sit definitio in largiori acceptione, quo sensu dicuntur etiam definiiri illa, quae non habet genus & differentia, seu descriptiva, Ad primam difficultatem contra Ammonium & suos*

differentia essentialitèr, nego ma. accidentalitèr concedo ma. similiter dist. minori, nego consequentiam. Ad primam probationem minoris dist. ant. genus formalitèr, includeret genus formalitèr, nego ant. genus formalitèr, includeret genus materialitèr, concedo ant. & nego consequentiam, sicut enim homo includit rationem generis, non formalitèr & essentialitèr, sed materialitèr tantum & accidentalitèr, seu denominativè: quatenus scilicet includit rationem animalis, cui deinceps per operationem intellectus comparantis illud ad alia advenit ratio generis, sic etiam genus includit rationem praedicabilitatis, cui deinde per operationem intellectus comparantis, advenit ratio generis; Ad secundam probationem. R. distinguendo similiter propositionem, primo Generi non potest advenire genus essentialitèr concedo, accidentalitèr nego, unde universale quod advenit quinque speciebus, non est essentialitèr genus, sed accidentalitèr, Nec hinc sequitur processus in infinitum, quia genus praedicabile non quatenus genus, sed quatenus species respicit universale in communi tanquam suum genus in quo postea sistitur. Verumtamen

Urgetur. Illud universale quod genus respicit veluti species subiectionis tanquam suum genus, est definibile, ergo per aliud genus, si per aliud, illud genus alterum erit iterum definibile, ergo dabitur processus in infinitum. R. Illud universale esse definibile per aliud genus materialitèr, non tamen formalitèr, sed formalitèr definitur per genus primum praedicabile sub ratione secundae intentionis genericae, à qua veluti essentialitèr tali dependent omnes naturae, sive reales, sive intentionales illius universalitatis capaces denominantur tales. Unde universale accidentalitèr est genus, ad primum praedicabile, non verò essentialitèr universale, e contra paritèr accidentalitèr sub genere quatenus scilicet affectum est tali secunda intentione, hinc genus ut quid inferius est ad universale, ut modus verò potest esse superius.

Dico 2. Bene & essentialitèr definitur genus per datam supra secundam definitionem Porphyrii. Hæc est Scoti 15. q. univers. & suorum. Est etiam D. Augustini in Cathedra cap. 7. quod dammodo in terminis ferè clarior, nam dicit ibidem: *Genus igitur est quod secundum multa & differentia quid sit specie ostenditur atq; significatur ut est sola, id est substantia, ubi per ly significatur ostendit praedicabilitatem de pluribus, per ly ostenditur verò existentiam, vel existentiam naturæ in speciebus, ita ut non modo genus secundò intentionalitèr sumptum definiat, sed etiam primò; similia habet lib. 1. ad Bonifacium Papam, Probatur Conclusio: Quia illa est vera & essentialis definitio, quae constat verè genere & differentia, sed praedicta constat verè genere & differentia, ergo; probatur mi. quia illud est verum genus quod convenit cum pluribus secundum eandem rationem univocè, & secundum idem nomen, sed hoc habet, ergo. Probatur minor explicando omnes ejus partes, & in primis, Genus est, quod sit praedicabile de pluribus, in quo convenit cum omnibus aliis universalibus, quae omnia sunt praedicabilia de pluribus, Et per hanc particulam distinguitur ab individuo, & ab omnibus aliis, quae universalia*

IV.
Secunda definitio est bona.

Dico 1. Genus definiiri potest definitione etiam strictè accepta. Ita Doctor q. 15. univers. Maltrius & Bellutus ac ceteri communiter. Probatur, Quia illud potest definitione etiam strictè dicta definiiri, in cuius integro conceptu assignari potest conceptus genericus & differentialis, sed in genere primo praedicabili possunt assignari tales conceptus, ergo genus primum praedicabile potest sic definiiri, ma. est certa prob. minor. Quia in conceptu completo & adaequato generis, invenitur conceptus universalis, qui conceptus est genericus & contrahibilis ad plures differentias, scilicet ad quinque praedicabilia; reperitur etiam conceptus differentialis, scilicet posse praedicari, non quomodo cumque; sed etiam de pluribus specie differentiibus, qui conceptus determinat rationem universalitatis ad certam aliquam speciem praedicabilis, ergo. Confirmatur ex D. 4. d. 1. q. 2. dicente etiam in intentionibus logicis, habentibus conceptum per se solum invenitur suo modo genus & differentia.

Arguitur in Contra ex Autoritate Aristotelis 7. Met. cap. 4. ubi dicit Definitio nem esse solius speciei propriam, sed genus non est species, ergo genus definiiri non potest; R. negando mi. Quia genus est species subiectionis in ordine ad universale, non quidè essentialitèr & ut quid, sed accidentalitèr & ut modus. Verum licet hoc pateat sufficienter ex dictis, tamè

Instatur. Omnis definitio strictè sumpta debet habere genus & differentiam, sed genus, nec accidentalitèr & ut modus potest habere genus & differentiam, ergo non potest definiiri, probatur mi. primò, Quia genus includeret genus, ergo includeret seipsum, sed nihil seipsum includere potest, ergo; secundò, generis non potest dari aliud genus, vel deberet admitti processus in infinitum, ergo. R. dist. ma. debet constare genere & differentia formalitèr sumptis, seu secundò intentionalitèr, nego ma. materialitèr, seu primò intentionalitèr sumptis concedo ma. vel distingue alitèr ma. genere &

R non

VII.
VIII.

I.

non sunt: nec hoc impedit quò minus habeat ad huc rationem generis, quia ut notat Doctor I. d. 1. q. 2. sub litt. C. genus proximum potest distinguere & discernere ab omnibus iis quæ non continentur sub eodem genere cum definito, nam animal distinguit hominem à lapide hinc omnia predicabilia per predicari de pluribus ab omnibus individuis distingui possunt: Differentia verò locum habent omnes reliquæ particule, per quas genus distinguitur etiam ab aliis predicabilibus, Et in primis quidem per ly specie differentibus, distinguitur à secundo predicabili, scilicet specie: quæ predicatur solum de pluribus numero differentibus tantam, unde per hanc particulam designatur etiam quòd genus non dicat totam essentiam, sed tantum partem essentia: quia species habent diversas essentias totales; quare una totalis non potest de omnibus illis predicari, hinc malè dicit Averſa, per hoc distingui præcisè genus à specie, quòd genus de pluribus specie differentibus, species verò de pluribus numero tantum differentibus predicatur, Quòd autem malè dicat patet, nam tunc contra semetipsum plura universalia admittere deberet, & etiam contra communem quam quinq; quod & suæ & communi sententia: adherendo dici nequaquam potest, & hoc probò sequi: Si ideò genus præcisè distingueretur à specie quòd illud de pluribus specie, hæc verò solum de pluribus numero differentibus predicatur, sequeretur quòd differentia generica verbi gratia sensitivum distingueretur à differentia infima verbi gratia rationali, quia illa de pluribus specie differentibus, hæc solum de pluribus numero differentibus predicatur, & tunc contra communem sententiam erunt plura universalia quam quinq; ergò non ex eo præcisè distinguitur genus à specie, quòd illud de pluribus specie, hæc verò de pluribus numero differentibus predicatur, sed etiam quia genus communicatur ut pars essentialis, species verò ut tota essentia, & per consequens genus predicatur incompletè, predicari autem incompletè, est predicatum non exprimere totam subjecti essentiam, verbi gratia homo est animal, & species predicatur completè, predicari verò completè est, quando predicatum exprimit totam subjecti essentiam ut Petrus est homo.

V.

Dices cum Pontio: Si ideò distinguitur genus à specie, quia species predicatur completè & genus incompletè, sequetur, quòd genus superius distinguitur à genere inferiori, sed hoc non est dicendum, ergò. prob. sequela ma. Quia genus superius est magis incompletum, quam genus inferius, nam genus superius dicit potentialitatem ad genera inferiora, verbi gratia substantia dicit potentialitatem ad substantiam tam corporalem, quam spiritualem, corporalis autem non dicit potentialitatem nisi ad substantias solas corporeas. Hanc instantiam ut solvam prius notandum est, Genus aliud esse generalissimum, aliud subalternum, primum est supra quod non datur illud aliud genus, tale est substantia ut sic: supra quod non datur aliud genus commune omnibus, & solis substantiis: nam licet ens supra sit non convenit tamè solis substantiis, sed etiam accidentibus: aliud est genus subalternum, quod supra se habet aliud genus, & infra se plures species, de quibus est predicabile, hoc no-

tato R. negando sequelam ma. ad cuius probationem dico, per hoc quod genus supremum predicatur magis incompletè genere inferiori, non esse per hoc inter illa distinctione specificam, nã ut ajunt Philosophi, majus & minus in eadè linea nõ variant specie ut constat de magis & minus albo.

Per particulam ultimam in quid, distinguitur genus à reliquis tribus predicabilibus, quæ predicantur in quale nempe à differentia, proprio, & accidente, nam ultima duo predicantur absolute in quale accidentalitèr, differentia verò dicitur & predicatur in quale quid, quia dicit partè essentia: determinantis & per modum termini adjectivi: genus verò dicit essentiam per modum per se stantis & termini substantivi, & ideò absolute dicitur predicari in quid, nam esto differentia predicat essentiam, non tamen per modum per se stantis & termini qualitatis. Pro meliori ergò intelligentia, Nota predicari in quid esse ita predicari, ut per predicatum explicetur subjectum quid sit, sicut quando dicitur, ille est homo, illud est animal, quæ predicatio habet se per modum per se stantis, predicari verò in quale est, quando predicatum tendit ad explicandum subjectum, non quid sit, sed quale sit, unde predicari in quid per nomen relativum substantivum & significat per modum per se stantis, quale verò est nomen relativum adjectivum & significat per modum alteri adjacentis; quare ad questionem quid est responderetur nomine substantivo, ad questionem verò quale per nomen adjectivum.

Opponitur contra Conclusionem auctoritatem Aristotelis c. 4. de substantia, & 7. Met. t. 40. ubi dicit, *Substantia secundas predicari in quale quid, sed genera, sunt substantia: secundas, ergò male dicitur quod genus predicatur in quid.* R. Aristotelem tantum velle substantias secundas non predicari de primis tanquam per se subsisterent realitèr distincta, ut posuit Plato, sed predicari in quale quid, prout sic predicari est idem, ac predicari per modum alicujus essentialitèr inclusi, & realitèr identitati; Deinde ut notant aliqui, Aristoteles non dixit illas predicari in quale quid, sed significare quale quid.

Instatur Aristoteles & Porphyrius etiam definiendo genus ita voluerunt definire, ut per illam distingueretur ab aliis predicabilibus, sed per predicari in quid non distinguitur à reliquis, ergò. prob. mi. quia non distinguitur à differentia, ergò; prob. ant. Quia idem Aristoteles 7. top. c. 2. & 1. post. 2. dicit differentiam predicari in quid, ergò non distinguitur à differentia, consequenter mala definitio, quandoquidem convenit alteri à definito. R. neg. mi. cum antecedit proba ad cuius probationem dico, Aristotelem in his & similibus locis intelligendum esse, quòd differentia predicatur in quid secundum rem, & non secundum modum, nam secundum modum predicatur in quale, Genus verò secundum rem & secundum modum predicatur in quid, ut ipse Aristoteles 5. Met. c. 28. insinuat dum ait: *Genus esse quid primum quod primum inest & quod est subjectum, differentiam verò se habere ut qualitatem ejus, hinc licet quoad rem sit pars essentia: quoad modum tamen predicatur in quale; Ex quibus patet, malè tandem inferri definitionem malam esse, ut potè cum alteri à definito conveniat, cum revera non conveniat. Verum tamen ex ratione.*

U.

Urgetur hæc ultima sequela: Convenit hæc definitio etiam enti, sed ens non est genus, secundum Aristotelem 3. Met. cap. 3. ergo mi. patet, prob. ma. quia ens prædicatur de pluribus specie differentibus in quid. R. igitur ens dupliciter sumi posse, semel prout est univocum ad entia, seu substantias, seu accidentia creata & limitata, & sic consideratum est genus, quia ipsi convenit definitio generis secundo modo, prout est univocum, vel analogum (de quo modo parum curo) ad Deum & creaturam, & sic non est genus, quia ipsi non competit definitio generis; nam genus debet esse prædicabile de pluribus specie differentibus, Deus autem non est species, sed essentialiter substantia individua & singularis, nullum verò genus constituitur immediatè per ordinem ad singularia & res individuas; Item genus debet esse contrahibile per differentias, ens autem in Deo non est contrahibile per differentiam, quia Deus non constat genere & differentia. Deniq; omne universale debet esse genus finitum & limitatum, quandoquidem hic agitur de eo prout inferviunt ad prædicamenta, Pro Complem. ento quaest. nota, quòd licet hæc definitio sit essentialis, non esse tamè absolutam, sed mixtã, quia datur per ordinem ad aliquid aliud scilicet ad illa plura de quibus prædicari potest.

QUESTIO II.

Quid sit definitum in definitione generis.

Prima fronte quaestio hæc videtur ridicula, nam cum omnis definitio sit alicujus definiti, & supra cu Porphyrio genus definim, lepidè queritur quid nam sit definitum, non fecus ac si quis hominem definivisset, dicendo, homo est animal rationale, risum excitaret, querendo: quidnam sit definitum, verum hoc non modò longè à risu abest, sed etiam plures continet & complectitur difficultates, nam nomen concretum ut in proposito est genus, & quodlibet aliud universale postea definiendum (eodem enim est quaestio & ratio de genere, ac ceteris) dicit formam simul & subiectum, vel utrumq; ex æquo & in recto, vel unum coòtando aliud, scilicet, vel formam in recto, connotando subiectum in obliquo, aut è contra subiectum in recto, connotando formam, cum igitur genus importet generalitatè ut formam efficientè aliquam naturã, atq; ideo in concreto, & non in abstracto definitur, conveniunt omnes, nec definiuntur solam intentionè secundam, neq; nudã naturã capacè intentionis, sed vel utrumq; ex æquo, vel unum per ordinem ad aliud, excepto Barone, postquam qualignum qui contra communem dicit solam naturam definiri hic, Verum tamen contra eundè & omnes alios similis farinae & doctrinae.

Dico I. Definitum in definitione generis non est natura secundum se præcisè. Hæc est expressè Scoti q. 14. universalium ubi sic habet, Dicendum, quòd res hic nullo modo definitur, quia quòd hic definitur convenit omnibus univocè rebus omnium generum, &c. contra Baronem ex quo patet, sicut & pluribus aliis hunc Authorem plurimum aberrare à scopo sibi proposito, qui fuit, & est, ut ex titulo operi præfixo, scotus defensus, scilicet non tam Scotum cum defendere, quàm novitati studere, cum verba Scoti sint clarissima naturam secundum se præcisè non definiri. Probat

F. Amandi Hermann Logica.

itaq; Concl. tum autoritate Scoti, tum ratione, quam Scotus ipse insinuat, Hic definitur aliquid commune omnibus naturis, sed nulla datur natura communis omnibus generibus, ergò natura hic non definitur, ma. patet, minor prob. Quia nihil univocè habent genera realia, & ea sunt rationis, vel quasi rationis, ergò nulla datur natura communis univocè omnibus generibus.

Respondet Baro, distinguendo mi.

non datur natura communis determinata concedo, indeterminata & transcendens nego mi. Sed contra hanc responsonem primò facit, Quia Baro petit hic principium, nam ex communi sententia defendente quinarium numerum universalium ad universale requiritur, quòd sit quid determinatum, sed Baro tollere vult probabilitatem sententiarum afferentium plura, vel pauciora universalia quàm quinq; , ergò cum communi tenere debet ad universale requiri naturam determinatam, consequenter petit principium distinguendo illam minorem, & pro distinctionis membro afferendo naturam transcendentem & determinatam. Contra 2. Ex communi sententia Ens solum est sic transcendens, ergò ens solum esset genus, consequenter non darentur plura genera quàm unum, Quòd si quis pro Barone respondeat non dari nisi unum genus generalissimum, benè tamen plura subalterna: tunc Insurgo iterum Contra, illa genera subalterna non habent aliquam naturam communem univocè omnibus, ergò illa non essent genera. Contra 3. principaliter, Illa natura qualiscunq; demum non spectaret ad Logicam, ergò definitio generis non est illius naturæ, patet consequentia, probatur aut. tum quia definire naturas rerum spectat ad alias scientias, tum quia Logica est de se principaliter definire secundas intentiones, & non primas. Ad hoc respondet Baro hoc esse verum de naturis realibus, non verò intentionalibus, sed quis non videt Responsonem hanc concedere, quòd querimus, si enim ad Logicam non spectat definire naturas reales, ergò definitionis generis definitum non est natura secundum se præcisè, sed erit aliquid aliud, si verò est aliquid aliud, quomodo stat principale ipsius argumentum, scilicet quòd non intentio, sed natura prædicetur de pluribus specie differentibus, Quòd argumentum ut adhuc magis enervetur

Probat Conclufio secundò:

Prædicabilitas nec est de essentia naturæ communis primò intentionaliter captae, neq; proprietas ejus, ergò natura hic non definitur definitione generis secundum se præcisè, consequentia patet, quia si prædicabilitas non est de essentia naturæ primò intentionaliter sumptæ, non poterit per prædicabilitatem definiri: probatur aut, quia prædicabilitas advenit naturæ jam essentialiter completæ, ergò.

Dices contra Conclufionem:

Illud per se hic definitur quod per se prædicatur de pluribus specie differentibus, sed natura est quæ sic prædicatur, ergò per se hic definitur, ma. est certa, prob. mi. Animal verbi gratiã prædicatur essentialiter de homine & bruto, & non secunda intentio, ergò. Confirm. quia Porphyrius explicans genº quòd definiat exemplificat in natura reali communi, scilicet in animali, dicens, ut ani-

III.

IV.

IV.

V.

mal predicatur de homine & bruto. R. dist. ma. quod predicatur predicacione essentiali signata concedo ma. quod predicatur predicacione exercita nego ma. & distincta similiter minori, nego consequentiam. Itaq; quod hic definitur debet posse predicari predicacione essentiali signata de pluribus specie differentibus, qualiter nature non convenit talis predicatio essentialis. Ad Confirmationem dico, Porphyrium ideò exemplificasse genus per animal, quia est fundamentum genericitatis, & quia in ipso exercetur quod per ly Genus signabatur, hinc patet, quòd secundæ intentioni essentialiter conveniat definitio generis, quia ex secunda intentione convenit generi predicari de pluribus predicacione signata.

VI.
Non aggregatum ex natura & secunda intentione.

DICO 2. *Definitum in definitione generis non est aggregatum ex natura & secunda intentione.* Hæc est Scoti supra contra Ruvium, Murciam, Hurtadum, Amicum, & probatur. Conclusio tum autoritate, tum ratione Scoti q. 14. univ. Nec etiam aggregatum per accidens, cuius non est definitio per Aristotelem 6. & 7. Met. Id est, ut aliquid definitur definitione proprie dicta, debet esse ens per se, & non per accidens, sed illud aggregatum ex natura & secunda intentione non est ens per se, sed per accidens, ergò definiti non potest, ergò illud non erit definitum in definitione generis. Prob. Conclusio secunda, Quia illud hic definitur quod de pluribus predicatur & ad inferiora descendit, sed conflatum ex natura & secunda intentione non descendit ad inferiora, neq; de illis predicatur exercite, aut signate, quia predicatio exercita est propria primarum intentionum, signata secundarum, ergò nullo genere potest illud predicatum predicari de pluribus.

VII.

Dices. Relativa, anima, & plura alia quæ dicunt respectum ad diversa definiiri possunt, ergò etiam poterit hoc aggregatum definiiri, prob. quia hoc aggregatum non dicit, seu non involuit plura in se quàm relativa, anima. &c. plura alia quæ per ordinem ad diversa definiuntur, ergò aq; poterit definiiri, cum non sit magis concretum accidentale quàm illa. R. dist. ant. Relativa &c. plura concreta accidentalia definiiri possunt, ita ut aq; primò significant formam & subjectum nego antecedens, prout unum dicit primariò & alterum secundariò concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; aggregatum hoc, si utrumq; primariò importat hæc definitione definiiri non poterit, bene tamen si unum in recto, & alterum in obliquo; Quare nota Concretum accidentale dupliciter considerari posse, uno modo ut significat aq; primò subjectum & formam, & hoc proprie dicitur ens per accidens: alio modo ut non utrumq; ex æquo principaliter significat, sed unum primariò & alterum secundariò: & hoc dicitur ens connotativum, qualia sunt correlativa, & omnia illa quæ definiuntur per ordinem ad aliud, quæ definiiri possunt definitione essentiali & rigosorâ, sed non simpli & absolutâ, sed mixta prout dixi in summulis, & sic se habet etiam in intentionibus secundis quare

VIII.
Sed secunda intentio connotans naturam.

DICO 3. *Definitum in definitione generis, est secunda intentio ut connotat naturam communem.* Hæc

est Scoti supra sæpè cit. & quamvis ibi dicat solam intentionem definiiri, subintelligendum tamen est cum ordine ad naturam communem, seu intentionem secundam primariò & principaliter definiiri, Est etiam D. Thom. 1. d. 18. q. 1. a. 2. &c. Probatur, illud definitur in definitione generis, quod per illud concretum genus principaliter significatur, sed secunda intentio ut connotat naturam in illo concreto principaliter significatur, ergò. Confirmatur, Quia predicari de pluribus est principaliter intentionis, secundariò verò, seu per accidens nature, quia nature est esse per se.

QUÆSTIO III.

An genus salvetur in unica specie, & species in unico individuo?

Quæstio hæc procedit tam de universali metaphyfico quàm logico, non procedit tamen in eo sensu quò genus & species dicuntur aliqua tota actualia, scilicet quantum ad predicata sua intrinseca & essentialia: nam sic certum est quòd tam genus, quàm species in unico inferiori salvari possit, quia secundum suam essentialitatem totam communicantur cuilibet suo inferiori, sic tota ratio animalitatis est in specie humana, & tota ratio nature humanæ in Petro, nam destructis omnibus omnino animalibus, & solo existente homine adhuc homo esset animal, & destructis omnibus individuis, & solo remanente Petro: adhuc Petrus esset animal rationale; Est ergò difficultas de genere & specie in quantum dicunt aliqua tota potentialia, ita ut sensus sit an ad conservandam totalitatem suam potentialem secundum statum ei connaturaliter debitum genus exigat plures species, & species plura individua. In qua materia triplex est sententia: Prima est Celestini asserentis

disp. 5. Log. sect. 2. Genus tam secundum metaphysicam considerationem, quàm secundum logicam in una specie, & speciem in uno individuo salvari posse. Secunda diametraliter opposita requirit quod genus plures species, & species plura individua necessarii requiratur, quæ non modò possibiliter, sed etiam actu existant. Ita Boethius, Alexander, D. Thomas, Fonseca, Tolemus, & plures alii: Tertia tandem sententia mitior est, media requirit ad salvandam universalitatem generis plures species, & speciei plura individua non quidem actu existentia, sed saltem possibiliter; Et hæc est communior Scottiarum, Eamq; tenet Ruvius, Oviedo, contro. 4. log. punct. 3. Hurtadus, Blancus, & plures alii, nec dissentit Baro licet forte vellet & affectate casibus duobus propositis desideret, attamen re ipsa cum cæteris Scottis coincidit, Quare ad quæstionem

DICO I. *Genus & species secundum logicam considerationem requirunt plura inferiora, licet non actu existentia a parte rei extra causas posita, requirunt tamen plura objective in intellectu, ita scilicet, ut licet plura actu non existant, sint tamen possibiliter.* Hæc est Scoti quæst. 18. univ. ut ipsum citant Maltrius & Bellutus, ubi in fine dicit: Genus actu multas species requirere per intellectum apprehensas, ubi cum de universali loqui explicant Mauritius & Bargius. Prob. Concl. quoad 1. p. scilicet quod non sit necessarium ut inferiora sint a parte

I.
Quæstio est de utroq; universali.

Triplex est sententia.

II.
Debet ad minus esse plura possibiliter.

à parte rei actu existentia, Quia si requireretur plura inferiora actu existentia sequeretur naturam Solis, Lunar, phœnicis & non posse fundare universalitatem Logicam, sed hæc secundum communem possunt fundare universalitatem Logicam, ergo non requiritur ut inferiora sint à parte rei actu existentia, probatur mi quia adhuc considerari possunt prout sunt indifferentia ad hoc & illud individuum, ergo. Probatur ergo Conclusio etiam quoad alteram partem. Quia genus & species ut à Logico considerantur formaliter, dicunt respectum ad plura, ergo non possunt salvari in unico inferiori quomodo cunq; , sed requiritur ut ad minus in intellectu represententur plura illa possibilia, ant. patet, consequentia probatur, Quia nihil potest salvari sine sua ratione formali & essentiali, ergo si genus & species Logicè respiciant plura essentialiter, non poterunt subsistere sine illis pluribus, id est nisi illa plura sint possibilia. Confirmatur. Quia universale Logicum fit per actum intellectus comparativum, sed talem actum comparativum non potest habere nisi respiciendo plura, ergo.

Arguitur Contra Conclusionem pro sententia Prima. Ad hoc ut aliquid sit genus & universale Logicum requiritur & sufficit, ut sit unum in multis, de iisq; possit prædicari veluti pars materialis eorum, sed hoc genus haberet licet implicaret omnes alias in una specie sub qua continerentur plura individua actualia vel possibilia, ergo illi nihil deficeret ad universalitatem, seu rationem generis Logicam, ma. patet: probatur minor, quia sola esset species humana ad huc animalitas non diceret totam essentiam hominis, sed partem tantum materialem, deinde etiam esset unum in multis illis individuis veluti pars materialis & incompleta, ergo. R. distinguendo ma. Ad hoc ut aliquid sit universale requiritur & sufficit &c. ut sit unum in multis, de iisq; possit prædicari quomodo cunq; , nego ma. ut sit unum in multis de iisq; possit prædicari non modo ut pars materialis tantum, sed etiam ut pars contrahibilis & indifferens ad alias species, concedo ma. & nego mi. quia si nullum animal esset possibile præter hominem cum tunc non magis late pateret animal quam homo, & non minus per animalitatem quam per rationalitatem distingueretur Petrus ab individuis aliarum specierum, hinc implicat quod data illa hypothese prædicaretur incompletè & per modum partis materialis, quare nego etiam probationis ejusdem mi. ant. Quia cum ex hypothese animal non esset possibile in alia specie præter humanam, qui diceret animal, diceret etiam rationale saltem implicitè & concomitantè ob mutuam connexionem quæ tunc esset inter animal & rationale, neq; enim ad faciendam prædicationem completam semper est necessarium exprimere quemcunq; gradum essentia, nam cum dicimus homo est animal rationale hæc est prædicatio completa, & tamen implicitè solum explicantur gradus superioris viventis corporis &c.

Instatur; Licet data hypothese animal non possit reperiri extra humanam speciem,

adhuc tamen dicendo homo est animal præscinderet à rationali, & ut sic præcisum nõ diceret totam hominis essentiam, ergo esset prædicatio generica. R. quod tunc non daretur talis præcisio, nam quod nunc datur ratio est, quia inter animalitatem & rationalitatem reperitur distinctio formalis, in casu autem isto idem esset principium sentiendi & discurrendi, & cum tunc nulla foret distinctio, nulla quoque esset præcisio: cum omnis præcisio fundetur supra distinctiõnem. Quod si tibi hæc responsio non sapit. Responde ut supra, scilicet tunc adhuc futuram prædicationem completam, quia qui diceret hominem esse animal virtualitè, etiam & implicitè ac concomitantè diceret eum esse rationalem. Imò si adhuc concederes quod prædicatio illa esset incompleta, in nullo peccares: nam exinde non liceret tamen inferri, quod quoq; esset generica, quia non esset per modum partis materialis, quod significat esse contrahibilem per plures differentias essentielles.

Urgetur; Saltem in hoc casu quo videlicet daretur aliquod gen^o, verbi gratiã animal, & sub eo darentur plures species, vel quasi species, quæ tamen ultra non essent communicabiles, exempli causã præter Petrum & Bucccephalum atq; Conam, Coridon sub natura humana aliud non esse possibile individuum, quàm Petrum, sub natura equi alium non esse quàm Bucccephalum, & sub natura canis alium possibilem haud esse quàm hunc Coridon, in hoc, inquam, casu animal habebit se respectu generis, respectu hominis, equi & canis, quia tunc prædicabitur per modum partis essentialis determinabilis & nullibi dicer totam essentiam explicitè, vel implicitè, ergo saltem in hoc sensu natura generica non requireret plures species, sed poterit sufficientè in illis individuis conservari. Ad hanc instantiam variè respondent Authores, nam Pontius concedit in tali casu sine multiplicatione specierum salvari posse rationem generis ut distinguitur à cæteris prædicabilibus, Averfa è contra negat, ratione dans, quia de essentia generis est, ut sit in pluribus speciebus; in casu autem non esset nisi in pluribus individuis, & consequentè species, verum hæc ratio non concludit: quia supponitur quod plus differant quàm numero, species autem plura solo numero distincta requirit: & quamvis Baro defensare teatet, quod tunc non plus differrent quàm numero. R. tamen cum Mastrio & Belluto, Argumentum ex hoc casu animal habiturum rationem generis, in quantum esset prædicabile de pluribus Individuis distinctæ rationis essentialis, seu essentialitèr differentibus per modum partis materialis; Ex alia verò parte Casum illum esse implicatoriũ, quia si illa individua sunt distinctæ rationis essentialis, seu essentialitèr differunt, & plusquam numero, ergo differunt specie & sunt in diversis speciebus, quæcunq; enim differunt essentialitèr, differunt etiam specie, unde in eo casu data hypothese dicendum esset, quod unumquodq; illorum individuorum propriam constitueret speciem, quemadmodum de individuis angelicis dicere solent Thomista.

Dico 2. Genus & species secundum Metaphysicam considerationem.

R 3

IV.

Etiam secundum Metaphysicam considerationem.

ficam considerationem in quantum fundamentum sunt universalis Logici, genus plures species, & species plura requirit individua, non quidem actu existentia, saltem possibilia. Hæc Conclusio colligitur ex Doctore supra cit. estq; communis Authorum sententiæ tertiæ. Probatur Conclusio primò de genere scilicet requiri plures species saltem possibiles.

Quia genus in tantum est pars materialis speciei modo, quia ad plures species est contrahibile, ergò si una species esset tantum possibilibus, non posset constitui eius pars materialis, probatur ant. quia si genus non esset communius specie quam constituit, & differentia quæ contrahitur, non posset dici verè contrahi & coartari per differentiam, quia non esset majoris amplitudinis quam differentia, neq; esset ratio cur species constituta cum aliis speciebus conveniret, sed potius spectaret ad ultimum distinctivum illius naturæ, quia illud spectat ad ultimum constitutivum alicujus naturæ, quod ei soli convenit, & consequenter non erit pars potentialis illius speciei. Probatur Conclusio quoad eandem partem de genere & specie simul, Quia ut aliqua natura sit universalis Metaphysicè, debet esse capax universalitatis Logicæ, sed natura generica quæ unam solam speciem habet, & specifica quæ unum solum individuum possibile, non potest esse universalis Logicè, ergò nec Metaphysicè. Confirmatur ex definitione universalis Metaphysici, quod debet esse unum in multis saltem remotè, sicut universale Logicum est unum aptum esse in multis proximè, ergò. Probatur Conclusio quoad alteram partem, scilicet non requiri, ut illa plura actu existant; Quia universalitas generis Metaphysica non consistit in hoc quòd habeat plures partes subjectivas, in quibus actu existat, sed tantum in quibus possit in esse, ergò cum universalitas consistat in sola relatione aptitudinali, frustra requiritur actualis, & consequenter non requiruntur plures species, vel plura individua actu existentia.

V. **Opponitur Contra Conclus.**
Opponitur & solvitur Aristoteles.

Authoritas Aristotelis multis in locis in quibus docet quod genus debeat habere plures differentias, & etiam habeat actu consequenter etiam plures species ut 1. Top. cap. 3. 3. Met. t. 10. & 7. Met. 42. & 10. Met. 14. & alibi sæpè. R. adhas & similes plures auctoritates genus respicere plures species possibiles, non verò actu existentes, quòd si verò requirit species actu existentes in aliquibus locis tunc dicendum est eum loqui de genere Logico quod actu requirit plures species in existentia objectiva; vel dicito eum loqui prout nunc & defecto contingit secundum naturalem rerum exigentiam, non verò quòd absolute non possit salvari ratio generis sine pluribus speciebus actu existentibus. Verumtamen in contra

VI. **Arguitur:** Etiam ex ratione, Nullum genus concipi potest veluti contrahibile per unam tantum differentiam, ergò actu requiruntur plures, probatur ant. si posset concipi ut contrahibilis per unam differentiam tantum, non conciperetur ut divisibilis per plures, sed genus debet concipi ut per plures divisibilis, ergò nõ potest concipi ut contrahibilis per unam

differentiam tantum, consequenter requiruntur plures actu existentes. R. concessio ant. distinguendo consequens requiruntur actu plures nego consequentiã, requiruntur plures possibiles concedo consequentiã neq; argumentum alterum plus probat quàm quòd plures possibiles requirantur non verò actuales.

Instatur; Existente uno contrario, necesse est ut alterum quoq; existat, sed differentia sunt sibi contraria, ergò existente una contrahente, genus necesse est quoq; ut altera etiam actu existat, ma. patet ex Arist. 2. Cœli. 18. R. dist. ma. Existente uno contrario necesse est etiam existere alterum propriè dicto; concedo ma. prout contrarium sumitur pro quacunq; oppositione nego ma. & ni. quia differentia non sunt sibi propriè contraria, sed potius privativè opponuntur, in quantum scilicet una semper est perfectior altera, nec aliud intendit Aristoteles citatus ut notat Averfã.

Urgetur: Differentia cum qua genus constituit unam speciem distinguit actu illud ab omnibus aliis speciebus, sed sic differre & distinguere non potest facere nisi illæ aliæ actu existant, ergò actu requiruntur plures. R. negando mi. quia differentia distinguit illam speciem constitutam non modò ab actu existentibus, verum etiam à possibilibus. Quòd si quis replicaret adhuc, quòd genus dicat potentiam naturalem ad plures species quæ frustrari non debet, alioquin superflua esset & inanis, nil proficeret, nam nimium probaret, nam sicut genus dicit potentias ad plures, & ad species syncategorematicè infinitas, ita sequeretur quòd deberet actu infinitas.

QUÆSTIO IV.

An habeat sub se genus individua & quomodo de illis prædicetur?

Apud omnes certissimum est, genus de individuis prædicari, verè enim dicitur Petrus est animal, Paulus est animal, & ideo Porphyrius genus definiens dixit, genus prædicari de pluribus specie differentibus, insinuare volens non solum prædicari de speciebus, sed etiam individuis, nam non solum homo & brutum specie differunt, sed etiam Petrus & Bucccephalus; Sensus igitur quæstionis quoad primum dubium est, an mediã tantum prædicetur de illis, id est, mediã specie: quo sensu dicimus quod Petrus sit animal, quia est homo, an verò etiam aliquando prædicari possit immediã? Circa quod dubium duplex est sententia: Prima dicit genus non prædicari de individuis immediã, id est, nullo alio mediã, sed mediã, videlicet mediã specie, ita ut immediã referatur ad speciem, & hac mediã ad individuum. Ita Albertus tract. 4. de Prædicabilibus cap. 1. Scotus. q. 17. Univers. Connimb. q. 1. de Specie Toletus q. un. Javellus tract. de Prædicab. Joan. à S. Thoma & multi alii, imò & ipse Porphyrius cap. de specie sic docuisse videtur. Secunda sententia docet posse genus prædicari non solum mediã, sed etiam immediã, verbi gratiã dicendo non solum Petrus est animal,

animal, sed etiam hoc animal est animal, & ita sentiunt omnes quotquot individua generica admittunt, ita plurimi Recentiores Ruvius cap. de specie q. 5. Oviedo controv. 4. Log. puncto 4. Hurtadus, Sanchez, Arriaga, D. Thomas, Scotus 1. d. 3. q. 6. & clarissimè in 4. d. 8. & alii quàm plures, unde pro clariori intelligentia.

Notandum Individua dupliciter considerari posse, primò ut sunt à parte rei, verbi gratià Petrus, Paulus, Bucccephalus &c. & talia individua vocantur individua specifica, & sic verum est nullum tale individuum immediate sub genere contineri, quia omne tale continetur immediate sub aliqua specie, & mediante illa specie sub genere. Secundo modo individua considerari possunt non prout sunt à parte rei, sed prout ab intellectu concipiuntur, verbi gratià ita longè videamus venire aliquod animal, & non possumus discernere an homo, sit an bos? hoc individuum vocabitur incompletum & genericum, incompletum quidem, quia non attingitur secundum totam essentiam, quam habet à parte rei; genericum verò, quia immediate participat naturam genericam: immediate enim de tali individuo est verum dicere, hoc animal est animal, hæc autem individua generica debere admitti expressè docet Scotus (non quidem à parte rei sed apud intellectum in adæquate concipientem) cum Avinceana, Varrone Magistro suo, hoc prænotato hisq; præmissis pro resolutione primi dubii.

Dico I. Genus prædicatur de individuo specifico & completo mediata, de genericis verò & incompleto immediate. Hæc Conclusio colligitur ex Scoto citato, eamq; tenent Authores secundæ sententiæ contra omnes eos qui individua generica dari negant;

Probatur Conclusio primò ratione à Scoto allata ex Varrone, Quando enim de aliqua re ignoramus quid sit, distinctè & in particulari querimus, quid est hoc? sed tunc ly hoc non supponit pro aliquo singulari speciei infimæ, ut hoc ligno, vel hoc lapide, quia tunc non ignoraretur quid sit illud quod per tale nomen queritur, quia idem non supponitur & queritur, supponit ergò pro singulari entis & querit in speciali quid illud sit, unde data responsione quod est lignum vel lapis statim quietat intellectus.

Probatur Conclusio specialitèr secundo quoad 1. p. Illud prædicatur mediata de aliquo, quod cognoscitur illi convenire mediante tertio, sed genus cognoscitur convenire individuo mediante tertio, ergò, ma. est certa: probatur minor; Ideò in hac propositione: verbi gratià Petrus est animal, ly Animal affirmatur de Petro, quia prius cognoscitur esse in homine, ergò genus mediata tantum prædicatur de individuo completis.

Dices; Impossibile est essentiam rei competere mediante alio, sed animal rationale est essentia Petri, ergò. R. negando mi. animal enim & rationale sunt de essentia speciei, & sic secundario tantum conveniunt individuis, quia talia nullam essentiam propriè habent, præter species.

Probatur Conclusio quoad alteram partem; Quia hæc prædicationes sunt veræ, hoc animal est animal, hoc vivens est vivens, in quibus subiectum significat naturam singularizatam, prædicatum verò naturam universalem, sed inter naturam in communi sumptam & sumptam in singulari nullum potest dari medium, ergò genus immediate prædicatur de individuis completis, probatur ma. quia dum video animal à longè ex certo aliquo motu vel signo, non cognoscendo cuius sit speciei, tunc non potest de illo in veritate prædicare aliud, quàm rationem communem animalis, ergò illæ sunt veræ prædicationes, & licet inter illas prædicationes mediet aliquid prout individua sunt à parte rei, non mediat tamen aliquid prout in casu illo à cognoscente imperfectè concipiuntur.

Confirmatur Conclusio. Illud prædicatur immediate de aliquo, quod non cognoscitur illi convenire mediante cognitione alicujus tertii, sed inter cognitionem individui adæquate & completè cogniti & cognitionem naturæ genericæ mediat cognitio speciei, quæ non mediat inter cognitionè individui in adæquate concepti, & cognitionem naturæ genericæ, ergò genus prædicatur mediante specie de individuo completo, & immediate de individuo incompletè concepto.

Opponitur Contra Conclusio. V. Opponitur & solvitur Aristoteles. Autoritas Scoti pro prima opinione citati, ubi ait genus de individuis prædicari mediata, ergò malè dicitur quòd prædicatur de aliquibus immediate, cum universalitèr loquatur, adeoq; universalitèr sit accipiendus; sed Responsio est facilis, nam Scotus loquitur de individuis specificis & completis, de quibus dicit quòd genus mediata prædicatur. quando verò agit de incompletis, contrarium omninò sentit, unde Scotus tam unum quàm alterum asserit, sed non secundum eadem & respectu ejusdem.

Arguitur Etiam ex ratione contra secundam p. Genus ita prædicatur de inferioribus prout sunt disposita in serie, & linea prædicamentali, sed in linea prædicamentali inter genus & individuum mediat species, ergò genus etiam non prædicatur de individuis nisi mediante specie. R. dist. ma. si illa inferiora sunt distinctè & completè cognita, concedo ma. si sunt confusè & incomplete cognita, nego ma. & concessa mi. distingo similiter consequens: Ergò genus etiam non prædicatur de individuis nisi mediante specie, de individuis completè cognitis, concedo consequentiam, de individuis incompletè cognitis nego consequentiam. Sed

Instatur Non potest fieri transitus ab extremo ad extremum nisi transeundo per medium, sed genus & individua sunt extrema & species est medium, ergò, genus non potest prædicari de individuo nisi prius prædicetur de specie. R. dist. ma. si illa extrema sunt mediata transeat major, si sunt immediata nego ma. similiter dist. mi. genus & individuum completum concedo mi. incompletum nego mi. & paritèr distincto consequente negatur consequentia, Genus enim & individuum in illo casu sunt gradus

gradus immediati, adeoq; non est opus ut transeat per medium.

Urgetur; Genus, verbi gratiâ Animal non multiplicatur nisi per rationale, ergò illud animal non datur nisi in quantum datur hic equus, hic homo, sed, subsumo, in tantum & eo modo aliquid prædicatur, quo datur, ergò quandoquidem hoc animal non datur nisi in quantum datur hic equus, hic homo, nec etiam prædicatur nisi mediante hoc equo & hoc homine & consequenter, mediante specie. **Confirmatur;** Quia dicere hoc animal est animal, est idem ac Petrus est animal, quia articulus hoc determinat singulare existens, ergò illud animal erit aliquod singulare completum & consequenter genus de eo immediatè prædicari non poterit. **¶** Concessio antecedente distinguendo consequens, ergò hoc animal non datur, nisi in quantum datur hic equus, hic homo à parte rei concedo consequentiam, non datur per intellectum nostrum inadæquatè & incompletè concipientem, nego consequentiam, similiter distinguendo subsumptum dico, hoc animal in tantum & eo modo prædicatur, prout per intellectum nostrum concipientem representatur, & quia representatur sine specie intermedia, sine media specie etiam prædicatur. Ad Confirmationè **¶** negando ant. cuius rationem distinguo, articulus hoc determinat singulare entis concedo, singulare speciei infimæ nego, unde licet articulus hoc demonstrat singulare speciei infimæ, in quantum singulare alicuius universalis non potest esse in rerum natura, nisi in singulari, attamen non determinat singulare infimæ speciei clarè, distinctè, & adæquatè, sed confusè, hinc non sequitur quin intellectus concipere possit rationem magis universalem cum individuo non conceptis gradibus intermediis, quamvis nullum singulare à parte rei dari possit quòd non esset infimæ speciei.

VII.
Dubium autem est an tunc genus habeat rationem generis?

Alterum dubium in questione hac resolvendum est, Supposito quod genus prædicari possit tam de individuis completis ut Petrus est animal, quam incompletis, ut hoc animal est animal, de his immediatè de illis verò mediante specie; An in his prædicationibus genus tunc fertur universalitatem generis, vel potius induat universalitatem speciei? Circa quam materiam triplex est sententia, prima dicit, quando genus prædicatur de individuis, sive completis, sive incompletis, prædicari per modum generis: quia esto prædicatur de individuis ejusdem speciei, adhuc tamen aptum natum est prædicari de individuis alterius speciei ita Hurtadus & alii. Secunda sententia dicit, quando genus prædicatur de individuis, non habere amplius rationem generis, nec ullius ex aliis quatuor prædicabilibus, sed constituere aliam speciem universalis innominatam. Ita Pontius d. 4. n. 65. & Lovaniensès cap. de genere, quæ opinio sufficienter refutata manet per hoc quòd entia sine necessitate multiplicet. Tertia deniq; sententia dicit, genus quando prædicatur de individuis completis, prædicari per modum generis, quando verò de individuis incompletis, prædicari per modum speciei, ita Ruvius,

Complutenses; Arriaga, Mastrius & Bellutus disp. 5. Log. q. 1. art. 3. n. 39. Cum quibus etiam

Dico 2. Genus comparatum ad individua completa, sive ejusdem, sive diversæ speciei semper prædicatur per modum generis; comparatum verò ad individua incompleta prædicatur per modum speciei. Ita Authores pro tertia sententia citati & Probatur 1. p. Genus est quod prædicatur actu vel saltem potentiâ de pluribus diversæ speciei incompletè, sed sic prædicatur de individuis completis, ergò de illis prædicatur per modum generis, ma. patet: minor probatur: Illud prædicatur incompletè quod non dicit totam essentiam subjecti, sed animal verbi gratiâ in hac propositione Petrus est animal, non dicit totam essentiam subjecti, quia non dicit humanitatem, ergò.

Confirmatur primò: Ex dictis genus prædicatur mediâtè de individuis completis, ergò per modum generis & incompletè, hoc enim manifestum signum est, prædicari mediâtè, esse prædicari partem essentiæ & non totam essentiam.

Confirmatur secundò: Quando prædico hominem de Petro adhuc est prædicatio speciei, ergò quando prædico animal de hoc adhuc erit prædicatio generis, nec obstat quòd tunc ly homo, & ly animal determinentur ad individuum unum ex vi actualis prædicationis, quia manent adhuc apta nata prædicari de pluribus & animal quidem specie differentibus.

Probatur etiam secunda pars: Idèò prædicatur genus de individuis completis juxta dicta, per modum generis, quia prædicatur mediâtè, id est, incompletè, ergò cum de individuis incompletis prædicatur immediâtè, id est, completè, prædicabitur per modum speciei. Confirmatur; Idèò illa prædicatio Petrus est homo est speciei, quia prædicatum dicit totam essentiam subjecti, ergò etiam ista erit prædicatio speciei dicendo, hoc animal est animal, quia dicit totam essentiam subjecti. Nec obstat quòd ly hoc animal dicat in confuso etiam differentiam specificam, quia ad distinguenda prædicabilia non attenditur prædicatum & subjectum prout sunt in re, sed ut concipiuntur à nobis, alioquin genus non distingueretur à specie & differentia, cum species genus includat, quòd tamen nullus dicit: ergò.

Arguitur In contra Cum Hurtado? Quando quis videt quatuor individua animalis, duos scilicet homines, duos equos: & explicitè cognoscit ea esse animalia, non tamen scit qualia, tunc ab illis potest abstrahere unam rationem universalem de illis prædicabilem, sed illa ratio est generica, quia convenit pluribus specie differentibus, ergò de illis individuis incompletis genus prædicatur per modum generis & non per modum speciei, **¶** concedendo ma. & negando mi: nam illa ratio universalis est specifica, quia esto sit prædicabilis de pluribus specie differentibus, quia tunc cognoscens illa distinctè non percipit & concipit, nisi tanquam numero different, de illis prædicabitur per modum speciei & non per modum generis,

generis, nam ut supra dixi ad distinguenda praedicabilia non attenditur praedicatum & subiectum ut sunt in re, sed ut concipiuntur à nobis cum fundamento tamen. Sed

Instatur; Ratio specifica convenit solis individuis ejusdem speciei, sed hic non essent individua ejusdem speciei ergò non posset esse hic ratio specifica, ma. patet sicut & minor ex suppositione scilicet, quòd supponitur quòd illa quatuor individua duo sint homines, & duo equi & distinguendo mi. concessa ma. In casu non essent individua ejusdem speciei consideràdo illa secundum statum existentiae realis concedo mi. consideranda illa ut à vidente percipiuntur nego mi. Itaq; quia videns illa quatuor individua nò percipit differentiam eorum, hinc in eis concepta solo numero differit sub genere animalis quod tamen in ordine ad illa ut sic cognita induit modum speciei, quia respicit illa ut solo numero differetia, quod est propriu speciei.

Urgetur; hinc sequeretur illa individua non posse nec debere dici generica sed specifica, sequela est falsa, ergò & illud unde sequitur; prob. seq. Quia idèd dicuntur individua generica, quia genus de illis praedicatur per modum generis, ergò si non praedicatur de his per modum generis sequetur non esse individua generica sed specifica. R. negando sequelam ma. cum ant. probationis Quia hoc animal & illud animal, nò dicuntur individua generica, quia de illis praedicatur gen^o per modum generis, quia planè ex hoc capite specifica dici deberent, sed dicuntur generica & non specifica, quia ex consuetudine loquendi modo illa dicuntur individua specifica, quae genus participant mediante specie, quia verò ista participant genus immediatè generica dici consueverunt. Quod si dicas & urgeas dicendo haec praedicatio hoc ens est ens non potest esse specifica etià in illo dato sensu, quia species debet habere supra se gen^o, ens autem nò habet supra se gen^o ergò non erit specifica sed generica. R. negando assumptu, ad ratione pro probatione positam. Specie subiectibilem debere habere supra se gen^o, nò verò praedicabilem unde illa praedicatio ens est ens est specifica, nò tamen speciei subiectibilis, sed praedicabilis, quid autem sit species subiectibilis & praedicabilis dicat disputatio ne sequete, pro fine disputationis huj^o sit adhuc.

QUAESTIO V.

Quae est Miscellanea expediens nonnulla restantia de genere dubia.

Primum dubium in hac quaestione resolvendum occurrit, Quomodo scilicet conveniant, vel differant Genus supremum, seu generalissimum & infimum Quia videntur differre specie prout affirmat Aversa; vel si specie nò differant sequetur neq; genus infimum & speciem differre specie, & sic habebimus tantum quatuor species praedicabilem, contra Porphyrium & communem, quod probatur: Quia genus generalissimum potest praedicari de pluribus differentibus genere, verbi gratia de animali & planta ac angelo quae differunt genere, genus autem ultimu verbi gratia animal tantum potest praedicari de pluribus differentibus specie & quidem specie a thoma vel ultima, verbi gratia animal de homine & brutu ponendo quod brutum sit species infima, vel saltem brutum de equo & asino, sed non est major ratio diversificandi speciem.

F. Amandi Hermann Logica.

cie universalis quando unu praedicatur de pluribus differentibus specie, & aliud differentibus numero tantum, quàm quòd unum praedicatur de pluribus differentibus genere sicut praedicatur genus generalissimum & aliud de differentibus specie tantum, sicut praedicatur genus ultimum; sed illa praedicabilia quae praedicantur de pluribus specie differentibus, & illa quae praedicantur de pluribus numero differentibus tantum constituunt duas species praedicabilem, ergò etiam illa quae praedicantur de pluribus differentibus genere & differentibus specie tantum duas constituunt species, & sic sex erunt praedicabilia, aut si non constituunt, ergò erunt tantum quatuor, quorum utrumq; videtur esse inconveniens. Verumtamen R. 1. Argumentum nihil facere singularitèr contra me, imò doctrinam à me supra traditam magis confirmat, vi delictet stando praecise rationibus posse defendi dari plura, vel pauciora universalis quàm quinq; quod si quis communi adherere, nollet libentèr concedere; At inhaerendo communi sententiae. R. 2. Genus & speciem praecise differre in eo quòd unum praedicatur completè scilicet species, aliud incompletè nempe gen^o, & hoc loquendo de quocunq; genere, seu supremo, seu medio, vel infimo; quòd autem illa plura de quibus praedicatur genus supremum genere differant est merè impertinens ad ratione generis praecise, cui ex suo conceptu adequato sufficit praedicari de pluribus specie differentibus in quid incompletè, sicut est merè per accidens quinto praedicabili, quòd sit gradus genericus verbi gratia color, vel specificus, verbi gratia albedo unde ex hoc discursu tantum habetur gen^o primu universale posse subvidi in genus supremu, infimum & mediu, quoru primum petit nullu habere gen^o supra se, secundum habere supra se & infra se, tertium habere super se, & nullum habere infra se; & hoc nò quia generica sunt praecise, sed quia talia genera. Per haec sufficienter patet solutio dubii positi, sed est

Secundum dubium Est; an species sit correlativu generis adequatu? Supponit dubium speciei esse correlativum generis, ut etiam infra clarius patebit, difficultas tamè est an sola species sit correlativum? vel an etià sint individua ejus correlativa ita, si per impossibile destructa specie conservaretur individuu, vel eòtra destructo individuo conservaretur species, an tunc inquam conservaretur ratio generis ad huc? R. tam speciem quàm individuu esse generis correlativum, quamvis diverso modo, nam immediatum ej^o correlativu est species, mediatum, individuum completu, quando verò nò cognoscitur ut individuu completu, sed veluti incompletum, tunc est quoq; immediatu generis correlativum, Non est tamen tale correlativu individuu, ut si per impossibile destrueretur species in individuo posset conservari gen^o, prout est à Porphyrio definitum, quia illud ut dixi si non actu, saltè aptitudine petit essentialitèr praedicari de pluribus specie differentibus, licet bene conservaretur gen^o prout consideretur ej^o quidditativa ratio praecisa in quantu etià est per haec haecceitate & hoc individuu contrahibile. Quod si quis ulterius dubitas quærat an gen^o unica relatione referatur ad species & ad individua? R. cum Maffrio si intellectus gen^o eodem actu praedicet de specie & individua, esse unicam relationem, secus autem si hoc fiat diversis actibus;

II. Tam species quam individua sunt generis correlativa.

S Et

Et quamvis hæc responsio bona sit, videtur tamen mihi melius responderi dicendo duplicem esse relationem, unam immediatam ad speciem, alteram mediatam ad individua.

III.

Quomodo genus dicitur correspondere materiae & differentiæ formæ.

Dubium 3. Utrum proprie dicatur genus correspondere materiae, & differentiæ formæ? R. gen^o materiae & differentiæ formæ respondere, non per identitatem naturæ, quasi gen^o idem sit ac materia, differentiæ idem ac forma, sed proportionem & similitudinem, quia genus in multis materiæ imitatur, & differentiæ formam. Quod autem gen^o non sit propriè & identitate materiae & differentiæ forma, patet, quia multa constant genere & differentiæ v.g. angeli qui tamen non constant materia & forma, ergo gen^o non est materia & differentiæ forma per identitatem naturæ: Deinde omnium subalternarum est eadem materia, sed non est idem genus, ergo major patebit ex libris Physicorum, minor patet etiam, nam genera lapidum, herbarum, animalium sunt diversa. Quod autem gen^o in multis imitetur materiæ, & differentiæ formam probatur: Quia sicut materia est perfectibilis per formam, ita genus per differentiæ, & sicut forma est perfectiva materiæ, ita differentiæ generis suo modo; Item sicut materia est potentialis ad formam, ita genus ad differentiæ, & sicut forma actualitèr materiæ, ita differentiæ gen^o, & quemadmodum materia est indifferens ad multas formas recipiendas, ita etiã

genus est indifferens ad multas species, unde frequentèr Philosophus materiæ genus appellat, & contra genus materiæ, imò ex hinc universalitèr dicitur genus contrahi per differentiã ad aliquã certã, determinatãq; speciẽ veluti pars materialis, hinc etiã vulgati in Scholis versatur dictũ; Genus sumitur a materia, differentiã a forma.

Dubium 4. Unde sumatur distinctio generis & differentiæ?

Ad quod R. Genus desumi posse ab effectu, vel operatione magis comuni, & differentiã ab operatione minus comuni, sic quia videmus sensationem esse operationẽ communẽ homini & bruto, colligimus in homine & bruto dari principium formale talis sensationis ipsi communi, & quia videmus quòd homo discit, quæ operatio nõ est tam communis quàm sensatio, colligim^o per discursũ hominẽ differre à bruto.

Dubium 5. est. An genus prædicetur ut totum, vel ut pars?

R. genus prædicari de suis inferioribus ut pars actualis, & totum potentiale.

Probatur 1. p.

Quia genus ingreditur constitutionẽ totius inferioris verbi gratiã hominis, ergo prædicatur de ipso ut pars actualis.

Prob. 2. p.

Quia ad hoc ut aliquid prædicetur per modum totius de suis potentialis inferioribus sufficit ut superius includatur in inferiori, & inferius non includatur in ipso sed talis est natura generica ergo.

DISPUTATIO III.

DE SPECIE, SECUNDO PRÆDICABILI.

Quamvis hic de differentiã prius agendum fore videri possit, utpote quæ est contrãctiva generis & constitutiva speciei, nihilominus cum species generi sit correlativa, & perfectius prædicetur quàm differentiã, hunc sibi congrue vendicari locũ; Variè autẽ sumi potest, nã imprimis tam apud sacros quàm profanos Scriptores accipitur pro eleganti & pulchra venustate corporali, quæ à Politicis dicitur & judicatur digna Imperio, unde etiam Saltes inquit, specie tua & pulchritudine tua intende; secundò accipitur pro aliqua re, seu similitudine alicujus rei faciendã; tertio modo sumitur à Porphyrio pro specie Logica quæ est correlativa generi; & quarto demũ, pro specie prædicabili ad inferiora relatã, & de his posterioribus duabus speciebus in præsentĩ cum Porphyrio c. 2. hic nobis sermo erit, unde sit.

QUÆSTIO I.

Quid sit Species?

I.

In hac quæstione examinabo non modò definitionem speciei subijcibilis, verum etiam prædicabilis, quia Porphyrius considerans quomodo quælibet res in serie prædicamentali contemplari possit tam in ordine ad superiora, quàm ad inferiora, utriusq; definitionem singularem tradidit de quibus inter Authores controversatur num rectè sint assignatæ. Antequam ad quæstionem resolvendam accedam.

Notandum primò: Speciem subijcibilem esse, quæ generi subijcitur, seu quæ habet genus supra se, verbi gratiã animal, homo, &c. nam animal habet supra se substantiam, quæ est genus respectu substantiæ animalis, & substantiæ lapidis, cum de illis tanquam de specie differentiabilibus prædicetur. Species prædicabilis est quæ non tantum habet supra se genus & ei subijcitur, sed etiam habet infra se plura numero distincta de quibus prædicatur. Quando autem Porphyrius in capite secundo de specie egit de specie subalterna, non egit de illa tanquam de secundo universali, sed solum specie subijcibili, unde species infima, seu athoma, quæ etiam specialissima vocatur secundum prædicabile est.

II.

Quomodo distinguantur subijcibilis & prædicabilis.

Notandum secundo: Speciem subijcibilem & prædicabilem in hoc distingui,

quòd esto tam subijcibilis quàm prædicabilis habeat supra se genus, tamen species subijcibilis non semper est prædicabilis prædicatione ad secundum universale requisitã; nam species subalterna (species autem subalterna vocatur, quæ habet alias species sub se) est subijcibilis, verbi gratiã animal quod subijcitur substantiæ, non tamen est species prædicabilis, quia licet animal prædicetur de homine & bruto, non propterea debet dici species prædicabilis, cum de his non prædicetur tanquam de numero solo distinctis, sed dici potius debet genus cũ de his veluti specie distinctis prædicetur, unde advertendũ speciem subalterna si comparatur ad suũ superius videlicet genus esse speciem subijcibilem, si verò comparatur ad sua inferiora esse genus propter rationẽ assignatã, quia nempe potest prædicari de pluribus specie distinctis, & contra verò contingit in specie prædicabili, quæ licet semper subijcitur generi, nunquã tamen est genus, cum nunquã de specie distinctis, sed semper de solo numero distinctis prædicetur. Quibus præmissis & prænotatis ad Resolvendam quæstionẽ progredior &

DICO I. Bene definitur cum Porphyrio species subijcibilis, quid sit illa quæ subijcitur generi & de qua genus in quid prædicatur.

Hæc est Scoti q. 2. 1. Universalium, & Probatur Generali probatione tum quia omnibus & singulis convenit, tum quia sufficienter explicat naturam speciei subijcibilis.

IV.

Genus sumitur ab effectu magis communi.

V.

Genus prædicatur de suis inferioribus ut pars actualis & totum potentiale.

subicibilis, ergo, probatur hoc ant. explicando ejus particulas, Dicitur itaq; quod sit illa, seu illud universale quod rationem generis habet, & convenit cum reliquis predicabilibus, & distinguitur ab individuo, quod licet subiciatur generi, nihilominus tamen non subicitur generi, veluti universale sicut subicitur species subicibilis.

Dices; Species subicibilis non est universale, ergo per hanc particulam non poterit distingui ab individuo, & distinguendo ant. no est formaliter & reduplicative sumpta universalis, concedo ant. non est specificative sumpta universalis, nego ant. & consequentiam. Per quid patet sufficienter quid dicendum sit ad illam contentionem, quam aliqui fuse texunt per quid nam species ab individuo distinguitur cum utraq; generi subiciatur, & aliqui existimant, quod per particulam immediate quam dicunt subintelligendam esse in definitione speciei subicibilis, hoc scilicet gratis dicitur, tum quia additur particula cujus Porphyrius nullam fecit mentionem, tum quia sequeretur quod homo non esset species substantiae, quia ei immediate non subicitur quod falsum est, adeoq; gratis distinguunt per ly immediate, & melius per particulam universale.

Reliquae Particulæ in definitione postea locum differentiae habent, nam per illas sufficienter distinguitur a genere, ut genus est: quia genus ut genus formaliter non subicitur, nec aliquid de ipso predicatur. Et licet genus predicetur etiam de individuis, tamen de iis per modum generis, sed potius per modum speciei ut dixi supra. Sed Incontra

Arguitur Definitio speciei subicibilis non est notior suo definito, ergo: probatur ant. quia non est notius quid sit genus, quam quid sit species, sed subici generi non potest esse notius quam ipsum genus ergo. R. negando ant. Ad probationem dist. ma. non est notius ex natura sua quid sit genus transeat ma. non est notius ex suppositione, ex eo quod aliquis cognoscat quid sit genus & no cognoscat quid sit species, nego ma. & coeessa mi. nego consequentiam.

Instatur: Non potest cognosci genus quin cognoscatur species, cum gen^o definiatur per ordinem ad speciem, ergo falsum est quod genus cognoscatur no cognita specie. dist. ant. Quin cognoscatur species ut species formaliter, nego ant. quin cognoscatur species materialiter, seu aliqua res quae est species concedo ant. & similiter distinguo consequens non cognita specie formaliter, nego consequentiam non cognita specie materialiter concedo consequentiam. Itaq; quando definitur genus per ordinem ad speciem, debet intelligi per speciem naturae distinctae rationis inter se ut sensus sit, quod genus sit illud quod predicatur in quid de naturis distinctae rationis, similiter quando definitur species per ordinem ad genus, no debet hoc intelligi de genere formaliter prout est primu predicabile, sed de genere fundamentaliter & materialiter.

Urgetur. Omne correlativum debet per suum correlativum defini, sed definitur hic
F. Amandi Hermann Logica,

Species formaliter, ergo per genus formaliter consideratum, subsumo sed genus formaliter consideratum non est notius quam sit species formaliter considerata, ergo species non poterit defini per ordinem ad genus, quia sic definitio non erit notior suo definito. R. negando ma. Quia ut bene notant Tartaretus & Blanchus unum relativum non debet defini per suum correlativum, sed per fundamentum sui correlativi, quod Blanchus hoc discursu confirmat, quia genus respicit species, & species genus eo modo quo universale respicit inferiora, sed universale non respicit inferiora ut relativa sunt, ergo nec species genus, nec genus species prob. mi. nam in definitione universalis nulla fit mentio relationis inferioritatis, definitur namq; quod sit unum aptum inesse multis, ergo universale solum respicit inferiora ut multa sunt, non vero ut relativa sunt.

DICO 2. Bene etiam species predicabilis definitur a Porphyrio, quod sit illa quae de pluribus numero differentibus predicatur in quid. Hec est etiam Scoti supra Eamq; expressis quodammodo verbis tenet D. August. c. 7. Catheg. dicens: Species autem est, quam quidam & formam vocant, quia secundum multa & differentia quid sit numero predicatur atq; ostenditur, ut est homo. Idem exemplum speciei adfert D. Bernard. in tract. de Erroribus Abailardi c. 3. ubi assentit; Posito genere non quidem ponitur species, sed postea specie ponitur genus --- quomodo qui homo est necessario est animal, & infra: Nam etsi verum sit dicere si homo est animal est, non tamen vera est conversio qua dicitur, si animal est homo est. Ubi non modo generis & speciei mentionem facit, verum etiam genus magis latere, quam species docet, atq; adeo genus de specie esse predicabile insinuat & speciei generi subici. Probatur Conclusio etiam ratione, sicut praecedens: convenit enim cum genere in ratione predicabilitatis & differt in eo a genere, quod genus de specie differentibus predicetur, species vero predicabilis predicetur de solo numero differentibus, per quod etiam differt ab omnibus aliis predicabilibus, nullum enim aliud predicabile predicatur in quid de solo numero differentibus complete; dixi complete, quia eo ipso quod predicetur in quid de solo numero differentibus, dicit totam essentiam illorum & per consequens predicatur complete, sicut genus eo ipso quod predicetur de pluribus specie differentibus ut pars essentiae predicatur, ut notavit Mastrius d. 5. Log. q. 2. a. 2. Sed in Contra

Arguitur I. Ex conclusione & data definitione sequeretur Deum esse speciem, sed hoc est inconveniens, ergo, prob. sequela: quia Deus predicatur de pluribus numero differentibus, ergo prob. ant. Quia natura divina, seu Deus predicatur de Patre, Filio, & Spiritu S. quia vere dicimus, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, ergo. R. negando sequelam cujus probationis ant. distinguo, Deus predicatur de pluribus numero differentibus cum sui multiplicatione, nego ant. sine sui multiplicatione, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; ad rationem universalitatis, & consequenter speciei, non sufficit us quomodo cumq; predicetur de pluribus, sed id debet fieri etiam cum sui multiplicatione, Sed

Instatur

VI. Definitur predicabilis.

III. Instatur.

VII. Arguitur in contrarium primam.

Instatur Secundum Scotum l. d. 23. q. un. in fine & d. 26. q. un. In divinis potest à personis abstrahi persona ut sic, sed sic abstracta prædicabitur de illis tribus cum sui multiplicatione, ergò adhuc conveniet ista definitio personis divinis, sed subsumo, ille conceptus personæ ad illa tria supposita non est conceptus speciei, ergò definitio conveniet alteri: Ad hoc argumentum aliqui respondent & dicunt, conceptum illum habere rationem speciei, quia in ratione personæ non nisi numero differunt. Pasqualig. autem dicit, nec habere rationem speciei, nec rationem generis, quia omne prædicabile finitum est ac limitatum, & idè personæ divinæ cum sint infinitæ, non habent rationem alicujus prædicabilis ex quinque; Porphyrianis: sed esse aliquod speciale Porphyrio incognitum. Arriaga dicit habere modum generis, quia divinæ personæ in ratione divinæ personæ formali specie differunt, quia Paternitas, Filiatio & Spiratio passiva sunt relationes diversæ speciei; Ego autem R. talem conceptum admittendo illum habere modum prædicandi speciei, non tamen propriè, siquidem species propriè dicta ad hæcitatatem potentialitatem dicere debet, personæ verò divinæ nullam dicunt potentialitatem, Et licet Paternitas, Filiatio, & Spiratio quatenus relationes, sint diversæ speciei, quatenus personæ, tamen solo numero differunt, ut notavit Maftrius loco citato.

VIII.
Secundum.

Arguitur 2. Hæc definitio conveniet alteri à definito, ergò non est bona: probatur ant. Quia conveniet generi, ergò: probatur ant. Quia genus est prædicabile de pluribus differentibus numero in quid, ut cum dico Petrus est animal, Paulus est animal, ergò. R. negando ant. cum ant. probat. cujus probationis ant. dist. Genus prædicatur in quid de pluribus numero differentibus in quid completè, & immediatè nego, in quid mediatè & incompletè concedo ant. & nego consequentiam, Definitio autem illa intelligenda est de prædicatione immediata & completa per quod patet, quòd licet aliqua naturæ sint in se incompletæ ut est materia, anima &c. prædicabilitatem adhuc futuram completam, quia prædicantur de suis inferioribus secundum totam essentiam, & sic licet ipsæ naturæ non ponantur directè in prædicamentis, ponuntur tamen directè in prædicabilibus, veluti differentia, quæ directè in prædicabilibus ponitur, & tamen indirectè tantum in prædicamentis.

Instatur; Differentia, proprium, accidens, prædicantur in quid de suis inferioribus completè, quia rationale, risibile, & album prædicantur completè de homine, rationali, risibili, & albo: ergò definitio competit alteri à definito non modò secundum prædicationem incompletam, sed etiam secundum completam. R. dist. differentia, proprium, & accidens, &c. comparata ad sua propria inferiora concedo ant. comparata ad sua subiecta, vel quasi subiecta nego ant. & consequentiam. Itaq; prædicta & enumerata prædicabilia dupliciter considerari possunt: scilicet ad propria inferiora & ad sua subiecta, vel quasi subiecta in quibus sunt, si primo modo considerentur, tunc prædicantur de suis inferioribus per modum speciei, habentq; ra-

tionem speciei: nam & illis tunc speciei definitio competit; quando verò considerantur posteriori modo, tunc non rationem speciei habent. sed gaudent ratione illorum trium universalium ut benè notat Majoronius.

Urgetur; Homo est species, sed homo non prædicatur de pluribus numero differentibus tantum, ergò si non conveniet alteri à definito, saltem non conveniet omnibus speciebus, probatur mi. quia ma. tanquam certa supponitur, homo prædicatur de pluribus specie differentibus, ergò non prædicatur tantum de pluribus numero differentibus, probatur ant. quia prædicatur de femina & viro, sed hi distinguuntur specie, ergò: probatur mi. Plus distinguitur femina à viro, quàm unus vir ab alio, sed unus vir ab alio distinguitur numero, ergò si femina à viro plus distinguitur quàm vir à viro, specie distinguuntur. Propter hoc argumentum dixit agricola speciem infimam posse esse genus intermedium, sed inepetè cum tunc non esset species infima, seu ultima, seu potius subalterna. Quare R. aliter negando mi. cum ant. probat. cujus probationis minorem distinguo, sed hi, id est vir & femina distinguuntur specie essentiali nego mi. accidentaliter concedo mi. Itaq; Aristoteles expressè docuit 10. Met. t. 28. Virum & feminam non distingui specie essentiali, sed accidentaliter, unde accidentaliter vir & femina differunt plus quàm duo viri, non verò essentialiter.

QUÆSTIO II.

Per quid constituitur species in esse
Universalis?

Hujus quæstionis origo & principium est duplex, illa in præterita quæstione assignata speciei acceptio, idè controversitur an rationem universalitatis sortiatur per hoc, quòd subjiatur generi? an verò, quòd prædicetur de pluribus numero differentibus? Non est autem hic sermo de specie interjecta, seu subalterna, sed de specie athoma, seu specialissima, quia certum est speciem subalternam non esse speciem prædicabilem prædicatione ad secundum universale requisita, quoniam de pluribus specie distinctis prædicatur, & idè potius genus vocari debet, species verò subjiabilis ea tantum ratione quòd generi supremo subjiatur. Circa præsentem autem materiam duplex est sententia prima Cajetani cap. de specie dicentis idè speciem esse universalem præcisè, quia generi subjiatur: secunda opinio est communis omnium immediatè Cajetani contraria asserens, non per subjiabilitatem, sed per prædicabilitatem constitui in ratione universalis, in quantum scilicet est prædicabilis de pluribus numero differentibus.

Dico ad quæstionem species intrinsicè & formaliter in esse secundi universalis non constituitur per ordinem ad superiora quibus subjiatur, sed per ordinem ad inferiora de quibus prædicatur; Ita communis contra Cajetanum, Probatur Conclusio ratione tam efficaci, cujus efficaciam expertus Cajetanus insolutam relinquere debuit. In tantum species est unum universale de numero universalium, in quantum parti-

I.

Hæc duplex est sententia.

II. Species in esse universalis non constituitur per ordinem ad inferiora de quibus prædicatur.

participat rationem universalis in communi, sicut homo in tantum est verum animal de numero animalium, in quantum participat rationem animalis, sed universale formaliter constituitur in esse universalis per ordinem ad inferiora in quibus in esse, & de quibus praedicari potest; ergo etiam species constituitur in ratione universalis per ordinem ad inferiora, & non per ordinem ad superiora: & consequenter per praedicabilitatem & non per subjicitilitatem constituitur in esse secundi universalis: probatur mi. Quia universalis ut sic habent se respectu sui termini per modum superioris cum subjiciat sibi illum terminum, & non subjiciatur ipsi, ergo per ordinem hunc constituitur in esse universalis.

Confirmatur primò: Implicat, quod relatio in communi tendat ad unum terminum, & relatio sub ea contenta veluti species tendat ad oppositum, ergo cum universale in communi constituitur in esse tali per ordinem & habitudinem ad inferiora, consequenter quodlibet universale sub eo contentum debet in esse tali constitui per relationem ejusdem rationis magis coarctatam, & non per oppositam rationem, id est, ad superiora.

Confirmatur secundò: Quia eo ipso quod homo esset tota essentia Petri & Pauli, licet per impossibile non haberet supra se aliud genus, adhuc esset species: quia esset praedicabilis de pluribus numero differentibus in quid, & eo ipso quod homo sic conciperetur, conciperetur sub ratione universalis & speciei, ergo species formaliter constituitur per praedicabilitatem.

III. Opponitur contra Conclusionem fundamenti Cajetani. Propria ratio speciei est esse correlativam generis, sed hanc rationem correlativi non habet per ordinem ad inferiora, ergo per ordinem ad superiora, & consequenter non per praedicabilitatem, sed per subjicitilitatem constituitur in ratione universalis. Sed facile hoc fundamentum ruit, unde R. dist. ma. Propria ratio speciei secundum illam rationem praecise quantum est universale aliquod nego ma. secundum rationem formalem, in quantum est species generis, concedo ma. primo autem modo est correlativa, non ad genus, sed ad inferiora sua scilicet individua, sicut genus habet rationem universalis per ordinem ad inferiora, nempe species

Instatur. Ideo homo est animal, quia continetur sub animali, ergo ideo species est universale, quia continetur sub universali, sed in quantum continetur sub universali in communi est subjicitilis, ergo in quantum est subjicitilis erit universalis. R. negando ant. & consequentiam, Quia homo non dicitur ideo animal quia subjicitur animali ut sic, sed potius contra ideo subjicitur animali, quia verè homo est animal; sic etiam in proposito, species non ideo est universalis, quia subjicitur universali, sed contra ideo subjicitur universali ut sic, quia verè est universale

Urgetur. Quod immediate subjicitur generi est universale, sed species quatenus subjicitilis immediate subjicitur generi, ergo qua-

tenus subjicitilis est universalis, ma. patet, quia quod subjicitur generi est praedicabile, ergo R. dist. ma. Quod immediate subjicitur generi est universale materialiter, seu fundamentaliter, & in sensu specificativo, concedo ma. formaliter & reduplicative nego ma. Quia talis constituitur per habitudinem & ordinem ad sua inferiora.

Arguitur secundò. Ad hoc ut sit aliquid secundum praedicabile nihil requiritur nisi quid possit praedicari de pluribus numero differentibus, sed species subjicitilis sic potest praedicari, ergo species subjicitilis erit secundum praedicabile: probatur mi. quia species subjicitilis est praedicabilis de hac & illa specie subjicitili, R. concessa ma. negando mi. cujus probationis ant. distinguo: praedicatur de hac & illa specie, in quantum est subjicitilis, nego ant, alio modo & sub alio respectu concedo ant. & nego consequentiam, Itaq; non per hoc quod species comparatur ad sua superiora, sed quia comparatur ad inferiora, videlicet ad alias species subjicitiles, accipit praedicabilitatem, & sic fit secundum praedicabile.

Arguitur tertio. Ut species subjiciatur generi, requiritur, ut ipsa abstrahatur ab individuis, sed quando abstrahitur aliquid ab individuis, & subjicitur superiori fit universale, ergo quandoquidem species qua subjicitilis abstrahit ab inferioribus, qua subjicitilis erit universalis. R. concessa ma. dist. mi. fit universalis proximè & logicè, nego mi. fit universalis remotè & fundamentaliter, concedo mi. & similiter disting. conseq. est universalis fundamentaliter & remotè, concedo consequentiam: proximè & logicè, nego consequentiam. Itaq; hic sermo est de universali logico non verò remoto. Deinde licet etiam concederetur tunc speciem fieri universalem logicè, nihil faceret contra Conclusionem: quia tunc non ex subjectione praecise ad superiora fieret universalis, sed vi abstractionis ab inferioribus.

Instatur. Genus subalternum non constituitur in esse universalis subalterni per praedicabilitatem, sed per subjicitilitatem; ergo etiam species praecise per subjicitilitatem constitui potest in esse universalis. Probatur ant. Quia si constitueretur per praedicabilitatem, vel constitueretur per praedicabilitatem qua est de pluribus specie differentibus praedicabile, sed hoc non, quia & genus supremum est sic praedicabile; vel per eam praedicabilitatem constitueretur, qua est de solo numero differentibus, sed hoc etiam non, quia hoc speciei competit, ergo per subjicitilitatem: quia aliud non est assignabile. R. dist. ant. Genus subalternum constituitur per subjicitilitatem in quantum genus, nego ant. in quantum subalternum, concedo ant. Itaq; in quantum subalternum est, sub hac praecisa ratione subjicitur generi, sed tunc non est genus, sed potius species subjicitilis; quando verò comparatur ad plura specie differentia de quibus praedicatur, & pro tunc est genus atq; per habitudinem & ordinem ad inferiora in esse generis constituitur, in quantum verò subalternum est, non generis, sed speciei sortitur rationem.

IV. *Aliud Argumentum.*

V. *Tertium.*

Urgetur. Genus generalissimum non constituitur in esse talis per ordinem & habitudinem ad inferiora, ergo nec genus subalternum non debet constitui in esse talis per ordinem ad inferiora. Probatur ant. tum ex Porphyrio, tum ex Scoto 1. d. 8. q. 3. sub litt. O, ubi docet non esse de ratione generis generalissimi habere sub se plures species, ergo non per ordinem ad inferiora constituitur, sed per hoc præcisè, quia non habet aliud genus supra se. R. ad hanc replicam eodem modo quo supra dist. ant. Genus generalissimum non constituitur, &c. quia generalissimum est, concedo ant. quia genus est nego ant. & consequentiam, unde quidem verum est quod sub hac præcisè ratione quia Generalissimum dicitur, non constituitur per ordinem ad inferiora, sed per negationem alicujus alterius generis supra se, non verò hoc verum est, si consideretur sub ratione generis tantum, & in hoc sensu intelligendus est tam Porphyrius, quam Scotus, id tamen nihil urget contra positam Conclusionem.

QUÆSTIO III.

An omnes species diversæ necessario sint inæqualis perfectionis?

I.

Ingressus ad questionem.

Non est quidem hujus fori agere hic de speciebus, seu naturis rerum primò intentionaliter sumptis, sed tantum de iis agere & tractare, prout substant secundis intentionibus subiectibilitatis & prædicabilitatis, nihil curando quomodo se invicem in perfectione excedant; quia tamen communiter supponitur unam semper esse perfectiorem alterà, idè ex professo hoc in præsentì questione examinandum assumo, unde licet locus proprius esse non videatur, nullus tamen videtur esse congruentior, nam nec phylisæ, nec metaphylisæ determinatè adscribi potest, cum eam aliqui in Animalisticis, alii in metaphylisicis sine litis decisione & loci definitione pertractant. Duplex est autem in hac materia sententia: Prima est antiquorum asserentium omnes omninò species necessario esse inæqualis perfectionis; Ita Aureolus, Sincinas, D. Thomas, Fonseca, Albertinus, Suarez, Vasquez, Mastrins. Secunda sententia docet, ne dum hoc repugnare ut dentur aliquæ species æqualis perfectionis, sed etiam fat verisimile esse nunc & de facto dari aliquas species æqualis perfectionis: Ita Averfa, Oviedo, Pontius, Baro Apol. 5. Met. sect. 4. propè finem Arriaga, Comptonius, & plures alii, cum quibus ad questionem.

Duplex est sententia.

II.

DICO: Probabile est dari de facto aliquas species diversas æqualis perfectionis, ita ut neutra ex ipsis sit simpliciter perfectior altera, aut imperfectior, & certum est posse dari. Ita cum secunda sententia.

Probatur 1. p. Conclusionis:

Primò autoritate D. Bernardi ferm. 86. ubi ait: *In pondere igitur facta est quæ rei sui generis est comparanda, aut secundum majus, aut secundum minus, aut secundum æquale, sed res quæ comparantur in suo genere sunt species, ergo ex mente D. Bernardi species ejusdem generis possunt comparari secundum æquale, & consequenter dari possunt species æqualis perfectionis.*

Probatur secundo Ratione; Nulla potest adferri ratio ob quam certò constet omnes species esse inæqualis perfectionis, ergo id non est asserendum, si tu verò dixeris id implicare, nihil dicis, quia id ego nego, quia licet verum sit omnes omninò species non posse esse æqualis perfectionis, non tamen ex hoc inferri potest, quòd nullæ sint tales, ergo.

Probatur eadem pars 2. Si omnes species deberent esse inæqualis perfectionis hoc idè esset, quia omnes species sunt diversæ, sed hæc ratio nulla est, ergo. Prob. mi. Quia benè possum considerare aliqua esse diversæ & ocularitèr cognoscere, non considerando, nec ocularitèr cognoscendo, an sint æqualis perfectionis, verbi gratià possum cognoscere albedinem & dulcedinem esse diversæ non cognoscendo an sint æqualis perfectionis, vel inæqualis, ergo.

Probatur Conclusio tertiò;

Paternitas in divinis in quantum est relatio est diversæ rationis à filiatione & spiratione passiva, & tamen sunt ejusdem omninò perfectionis, ita ut una altera non sit perfectior, vel imperfectior, ergo non est improbabile, quin plures species diversæ possint ejusdem perfectionis. Baro existimat hanc Conclusionem melius probari non posse, quam solvendo argumenta & rationes in oppositum, unde confirmatur Conclusio, quoad hanc partem argumenti morali, quod idem Author adfert, Modica pars auri est æq; pretiosa, atq; magna pars stanni vel æris, unde denarii dicti quasi denos æris valentes, item virtus Religionis & virtus Patientia sunt specie diversæ virtutes, sed hæc contingit esse æquales, multi enim Confessores sunt æqualis meriti martyribus & vice versâ, unde Castitas assimilatur ebore, quod in fine longi temporis rubescit, tanquam puritas illa virginea æquet, aut reddat martyrem.

Probatur secunda pars; Omnes

angeli secundum Thomistas specie differunt, sed non implicat quin Deus possit creare unum angelum ejusdem omninò perfectionis cum altero, verbi gratià, quare non possit producere angelum specie diversum à Gabriele, qui esset omninò ejusdem perfectionis essentialis cum Gabriele, ergo certum est, quod dari possint plures species ejusdem perfectionis. Imò hoc argumentum satis confirmat etiam primam partem, quia si omnes angeli ut tenent Thomistæ diversæ sunt species, unde constat, quòd omnes qui sunt in eodem ordine & choro non sint ejusdem perfectionis, sed quòd sint diversæ? Et recurrere ad illud, quia sunt diversæ speciei, adeoq; esse quoq; diversæ perfectionis est aperte petere principium.

Opponitur contra Conclusionem Au-

thoritas Aristotelis. 3. Met. t. 13. dicentis quòd sub omni genere detur prius & posterius, sed si essent aliquæ species in perfectione æquales in illis non esset prius & posterius, ergo: secundo 8. Met. t. 10. Essentias rerum dicit esse sicut numeros, sed omnes numeri sunt à se invicem essentialitèr distincti, ergo etiam omnes naturæ & essentia rerum; ergo nullæ erunt duæ ejusdem

III.
*Opponitur
& solvitur
Aristoteli.*

eiusdem perfectionis. Sed R. ad primam Auctoritatem eam veram esse, sed nego minorē, quia ex textu allegato non sequitur quod sub quolibet genere aliqua species quae sunt priores, aliqua quae posteriores, non verò sequitur quod immediate una debeat esse alterā perfectior, aut imperfectior: quia bene cum prioritate & posterioritate fiat perfectionis aequalitas. R. ad secundam Auctoritatem eam explicando & distinguendo ma. Essentiae rerum sunt sicuti numeri quoad omnem perfectionem, nego ma. quoad aliquam concedo ma. & concessā mi, nego consequentiam; Itaq; allata Aristotelis similitudo non currit quatuor pedibus, nec sic omnis debet currere, hinc Aristoteles non voluit quod omnimodē se habeant species sicuti numeri secundum omnem respectum & considerationem, alioquin etiam dicere & velle debuisset, quod sicut in numeris nullus datur ultimus, ita nec deberet dari in speciebus, quod tamen falsum est, quia in Physica ostendam in speciebus dari talem statum, ut Deus ultra eam aliam perfectiorem producere non possit, mens ergo Aristotelis ea est, scilicet quod quemadmodum numeri per ablationem, vel additionem cujuscunq; unitatis variatur, ita essentias rerum per ablationem, vel additionem cujuscunq; praedicati variari: Et quemadmodum omnes numero magis quam numero differentes sunt diversae speciei, ita omnes essentiae rerum & omnes naturae plus inter se distinctae quam numero, sint dissimiles ac diversae speciei. Sed in Contra

tamen non facere certitudinem, sed tantum probabilitatem.

Instatur. Si differentiae essent aequales aequaliter different, sequeretur quod non posset assignari ex quo capite different, ergo non sunt omnes aequales: probatur ant. quia omnes aequaliter distant ab ente & non ente, ergo non sequeretur quod non posset assignari ex quo capite different, R. negando sequelam cum consequentia probationis. Quia possent adhuc assignari alia capita per quae differre dignoscerentur. Primò esset ipsa essentialis diversitas, quae videlicet non esset representabilis per eandem speciem. Secundò quia dissimiles & diversas haberent operationes & effectus. Tertio ex varietate & diverso modo producendi suas operationes. Nec aequalis distantia ab ente primo arguit universaliter aequalitatem aliorum, quarelationes divinae & attributa, verbi gratia bonitas, sapientia, omnipotentia aequaliter distant ab ente primo, nempe essentia divina, quae tamen licet sint eiusdem perfectionis, sunt diversae rationis formalis, & consequenter à pari licet aliqua entia creata distarent aequaliter à primo ente, adhuc poterunt esse eiusdem perfectionis & diversae rationis.

Urgetur. Quaecunq; sunt eiusdem perfectionis, sunt eiusdem speciei ergo si illae differentiae essent eiusdem perfectionis, essent eiusdem speciei. Probatur ant. Ideò colligitur Petrum & Joannem esse eiusdem speciei, quia sunt aequalis perfectionis, ergo quae sunt eiusdem perfectionis, sunt eiusdem speciei. R. negando ant. cum ant. probationis, quia potius econtra ideò sunt aequalis perfectionis, quia sunt eiusdem speciei, & quia non videmus ullam dissimilitudinem inter praedicata essentialia.

Dices: Quae sunt aequalia possunt inter se commensurari, sed quae sunt dissimiles naturae non possunt inter se commensurari, ergo omnia dissimilia sunt inaequalia. R. dist. ma. quae sunt aequalia concedo, quae non sunt, nego; similiter dist. mi. quatenus sunt dissimiles concedo mi. quatenus conveniunt in tantitate perfectionis, nego mi. & consequentiam. Itaq; quemadmodum albedo & nigredo ut tria, licet sint dissimiles naturae, & forte inaequalis perfectionis, possunt tamen commensurari in quantum conveniunt in tot & tot gradibus perfectionis istius entitatis, ita etiam albedo & dulcedo quantumvis haberent entitatem & perfectionem diversam, possunt tamen convenire in hoc, quod una perfectio sit tanta, quanta altera.

QUAESTIO IV.

Utrum bene definiatur individuum à Porphyrio?

Porphyrius in eodem capite quo egit

de specie, egit etiam de individuo veluti speciei correlativo, & non incongruè: nam quemadmodum post genus actum est de specie veluti generis correlativo, ita ob eandem rationem post speciem ordinatè agitur de individuo, quem tractandi modum etiam Authores sequuntur ordinariè secundum partem, si non secundum

17. **Arguitur.** Cum Soncina. Omnes differentiae diversarum specierum sunt inter se inaequalis perfectionis, ergo & species per ipsas constitutae: probatur ant. ex Philosopho 10. Met. r. 16. ubi ait, unam differentiam habere se ut formam, alteram ut privationem, sed privatio sumitur pro ignobiliori & imperfectiori, ergo omnes differentiae sunt inaequalis perfectionis. R. negando ant. & ad probat. nego mi. Quia Philosophus non accipit privationem pro ignobiliori forma, quidquid dicit Commentator. Vel dic ipsum locutum fuisse communiter, non semper. Imò dici potest quod nulla ex differentis se habeat positivè, sed semper privativè omnes, quia ex conjunctione superioris, cum illa superius privatur alterā differentia, ita ut in uno supposito non possit utramque habere; tamen quocunq; aliquod superius dividitur in aliqua duo membra, quorum unum non possit explicari nisi per oppositionem ad alteram differentiam, tunc quidem unum debet explicari positivè, & alterum negativè, ex hoc tamen non sequitur adhuc quod illa quae negativè, vel privativè explicatur, quod sit imperfectior; imò aliquando contrarium accidit, ut dum dividitur substantia in materialem, & immaterialem, pro illius differentia assignatur ordo particularis ad materiam, pro huius verò aliqua forma ad quam sequitur negatio talis, vel talis formae, ergo Philosophus non universaliter intellexit suum axioma, nec unquam dixit privationem esse semper imperfectiorem, quamvis id sit in homine & bruto. Adde, quod licet adhuc dixisset Philosophus omnes species esse inaequalis perfectionis, id

V.

I.

Ingressio ad questionem.

cundam totum: plures enim hic tantum de individuo secundo intentionaliter sumpto agunt, tanquam de illo de quo proprie pertinet ad Logicam agere. Primum intentionaliter sumptum remittunt ad Metaphysicam, verum tamen quia ob faciliorem cognitionem universalis Logici egi de natura communi secundum se precise quæ universale metaphysicum & remotum appellatur, quæ fundat universalitatem logicam ut cognito fundamento fundatum facilius cognoscatur, sic pariter non abs re futurum existimo, si ad pleniorum cognitionem individui secundum intentionaliter sumpti tractavero simul de eo in quantum primo intentionaliter capitur; cum & ipse Porphyrius non modo illud sub secunda, verum etiam sub prima intentione definiverit, quare in hac & sequentibus questionibus simul ea examinabo, quæ ab aliis in Metaphysica de individuo tradi solent. Itaque quantum attinet ad presentem questionem, secundum triplicem considerationem quæ individuum spectari potest, scilicet primo, vel secundo intentionaliter & hoc posteriori modo, vel in ratione subijcibilitatis, vel in ratione predicabilitatis. Porphyrius etiam id tripliciter definivit secundum primam considerationem sic, Individuum est cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem erit, has autem proprietates his duobus versibus signavit Boethius:

Triplicem
dedit Por-
phyrius de-
finitionem.

*Forma, figura, locus, et tempus, cum nomine,
sanguis,
Patria, sunt septem quæ non habet unus
& alter.*

Per formam intelligitur exterior species, seu pulchritudo, aut venustas; per figuram intelligitur debita partium dispositio, seu ordo; per locum intelligitur locus nativitatis; per tempus hora, vel etiam qualibet alia coexistentia; per nomen intelligitur nomen proprium quod adhibetur ad discernendum, vel determinandum unum ab alio; per ly sanguis intelligitur stirps, familia & progenies; per Patriam significatur Provincia, regnum vel civitas, &c. Altera definitio individui secundum intentionaliter spectati est: Individuum est quod continetur sub specie. Tertia denique, Individuum est quod de uno solo predicatur in quid, quæ coincidit cum illa Philosophi 1. Periher. cap. 5. singulare est quod non est natum predicari de multis, supple cum sui multiplicatione; unde non excluditur essentia divina & qualibet forma, quæ postea saltem per Deum poni simul in pluribus subjectis, & consequenter predicari de pluribus sine sui multiplicatione. Controvertitur itaque innum data definitiones bonæ sint nec ne? Sunt etenim aliqui Auctores qui eas simpliciter rejiciunt tanquam nullo modo bonas. Antequam desuper mentem meam aperio. Prius notandum est, individuum, seu singulare, vel unum numero (sunt synonyma) & inter suppositum ac personam, discrimen esse, nam individuum, seu singulare & unum numero est illud, cui repugnat dividi in plures partes subjectivas, id est, in plura inferiora ut hæc albedo, hic lapis, & reperitur in quolibet predicamento substantiæ, nempe & accidentium; Suppositum verò tantum reperitur in predicamento substantiæ & dicitur illud quod est alteri incommunicabile ut quod, & ut

Differentia
inter indivi-
duum & per-
sonam.

quo, id est: nec veluti forma subiecto, nec veluti superius inferiori. Persona autem tantum reperitur in genere naturæ intellectualis, & definitur à Richardo quod sit intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, de qua Deo Optimo Maximo favente ex proposito agam in Metaphysica, Et sic individuo superaddit suppositum quod sit substantia, & supposito persona, quod sit substantia intellectualis, & sic hæc tria se habent tanquam magis amplum, & minus amplum: nam omnis persona est suppositum, sed non e contra, & omne suppositum est individuum, sed non e contra, omne individuum est suppositum. His præmissis.

DICO I. Bene definitur individuum subijcibile quod sit illud quod continetur sub specie. Ita Porphyriani. Probatur, bona est definitio speciei subijcibilis, quod sit illa, quæ continetur sub genere, ergo bona est definitio individui subijcibilis, quod sit illud quod continetur sub specie.

DICES, Individuum juxta supra dicta continetur sub genere, ergo malè definitur quod sit illud quod continetur sub specie. R. dist. ant. continetur sub genere eodem modo quo sub specie nego ant. alio modo concedo ant. & nego consequentiam. Itaque, individuum sub specie continetur immediate, sub genere verò mediate, quod si verò contingat quandoque; ut etiam contingat sub genere immediate, tunc adhuc tamen genus non rationem generis, sed vices speciei sustinet. Hinc est quod Conclusio intelligenda sit non de quocumque individuo, sed de specifico ex mente Porphyrii, quamvis & de quolibet absolute sustineri possit propter datam responsum.

DICO 2. Bene definitur individuum predicabile quod sit illud, quod de uno solo predicari potest. Hæc est conformis doctrina Scoti in quæst. univers. Probatur, tum quia sufficienter explicat naturam individui secundum intentionaliter sumpti, prout contra distinguitur ab universali; tum quia constat genere & differentia, ergo probatur hoc ant. Quia genus est secunda intentio predicabilitatis, & differentia est ordo istius predicabilitatis ad unum solum, per quod individuum distinguitur ab omni alia predicabilitate. Per predicabilitatem autem individui non intelligitur quasi possit de aliquo uno inferiori predicari predicatio formali, nec id requiritur, sed sufficit predicatio identica quæ Petrus predicatur de se ipso ut Petrus est Petrus, Petrus est hic homo, sumendo ly hic homo signatè & particulariter, non autem pro conceptu humani individui singulis humanis individuis communi, quatenus & Petrus est hic homo, & Paulus est hic homo, sic enim non habet rationem individui, sed conceptus communis, de quo in sequenti questione; Unde quando Aristoteles dicit hoc album & universaliter nullum individuum de aliquo predicari; intelligendus, quod non possit de aliquo predicari veluti de inferiori, nam hoc album de aliquo veluti de subiecto predicari potest, ut Bernardus est hoc album, unde D. Augustinus individui duplicem assignavit definitionem, unam quæ competit individuo accidentali, quod

II.
Definitio
individui
subijcibile.

III.

IV.
Definitio
individui
predicabile.

quod cap. 6. dicit esse: Quod in subiecto quidem est, de subiecto tamen minime significatur (id est, veluti inferiori) ut est hæc grammatica, hic color, nam verè dici potest, hæc scientia est hæc grammatica, hoc accidens est hic albus color. Et individuum substantiale hoc modo, Quod nec in subiecto est, nec de subiecto significatur (id est, veluti inferiori) ut est Cicero, nec in subiecto est quia usque est, nec de subiecto aliquo significatur, siquidem à se ortum vocabulum teneat, neq; intelligi possit aliunde. Sed contra Conclusionem.

Opponitur Autoritas Philosophi cap. de substantia dicentis, quod prima substantia neq; insit, neq; prædicatur; sed prima substantia est individuum primò intentionalitèr, ergò juxta Philosophum saltem secunda intentio, quæ fundatur in individuo substantiali de nullo prædicatur, ergò ulterius non de uno solo inquit. Item in antepredica. cap. 2. definit Individuum quod sit illud quod de nullo prædicatur. Pro solutione adverte, prædicationem aliam esse formalem, id est, cujus prædicatum est aliqua natura communis, ut hæc: Petrus est homo; alia cujus prædicatum est aliquid singulare, & vocatur materialis, & etiam identica, cum idem de se ipso prædicatur, prima vocatur etiam artificialis, quia artibus & scientiis inservit, quibus maxime inserviunt prædicationes universales. Hinc igitur Philosophum tantum voluisse, nec primam substantiam, nec aliud singulare prædicari prædicatione artificiali, seu formali de ullo, quod quidem verum est, non verò quod non possint prædicari prædicatione materiali in sensu supra explicato.

Instatur. Secundum Philosophum 7. Met. nihil potest defini, nisi species, sed individuum non est species, ergò non potest defini, probatur mi. quia species est aliquid universale quæ non est individuum, cum potius immediate, contrarietur universali, ergò. igitur. dist. ma. Nihil potest defini nisi species formalitèr sumpta, vel denominativè, concedo ma. nisi formalitèr tantum sumpta, nego ma. & distingo similiter mi, individuum non est species formalitèr sumpta, concedo mi. denominativè per simplicem conceptum inæquatum, nego mi. Itaq; quia ab omnibus individuis abstrahi potest aliquis conceptus inæquatus, qui extrinsecè denominari potest veluti species, idè in tali abstractione defini potest. Ex quo patet ulterius quid dicendum foret si expressè citaretur Aristoteles asserens individuum defini non posse, id nempe verum esse in pura materiali acceptione, non verò si consideretur secundo intentionalitèr in quantum scilicet ab omnibus individuis abstrahi potest aliquis conceptus communis, licet ille sit inæquatus, nullam importans realitatem.

Dico 3. Individuum primò intentionalitèr non est à Porphyrio sua data definitione definitum definitione per essentialia, nec per proprietates intrinsecas, sed per accidentia separabilia. Ita comminor.

Et probatur I. p. Forma, figura, locus, tempus, & omnia alia verbis comprehensa sunt accidentia, ergò illa definitio non est per essentialia. Secundo Definitio ali-

F. Amandi Hermann Logica.

cujus rei essentialis competit omni definito, sed illa non competit omni definito, sed tantum illi definito quibus prædictæ proprietates accidentales competere possunt, ergò illa definitio non est essentialis: prob. mi. Deus & Angeli sunt individua, sed illa definitio non competit Deo, aut Angelis, ergò non competit omni definito, seu omni individuo, Probatur mi. quia nec formam, aut figuram, nec stirpem, aut sanguinem habent, ergò.

Probatur secunda pars: Videlicet; quòd nec sit data per passionem & proprietates. Quia proprietates & passionem cujus sunt passionem, non sunt separabiles à subiecto, & prædicantur in quale quid necessario de subiecto; sed prædictæ proprietates sunt separabiles ut forma, figura, locus, &c. & non prædicantur in quale quid necessario, sed tantum contingenter, ergò non sunt passionem, nec proprietates.

Probatur ultima pars: Videlicet quòd sit data per accidentia separabilia, quia omnes prædictæ proprietates sunt separabiles à me & à quocunq; alio, vel saltem in sensu diviso separari possunt, quod sufficit ad hoc ut sint accidentia. Itaq; prædicta definitio acceptata tanquam accidentali à posteriori cognoscere possumus quæ sint diversa & distincta individua, quòd videlicet illa sint, quæ non habent eandem formam, figuram, quæ non sunt nata in eodem loco, eodem tempore, quæ non habent idem nomen: nullus enim unquam vidit duos homines ejusdem omnino ætatis, eisdem parentibus natos, ejusdem altitudinis, nominis, faciei, ingenii, indolis ita ut nullum esset vestigium inter illos quod dignosci possit diversum, Itaq; hæc definitio licet per accidentia bona sit, primò non est universalis, quia solis hominibus competere ex æquo potest, quibus similia prædicata adveniunt; nec etiam absolute certissima & infallibilis, quin omnia ista accidentia per DEI potentiam duobus individuis inexistere possint, unde pro solis humanis individuis videtur esse data, quia certum est, quòd nec omnibus naturalibus & materialibus competere possit, nam implicat dari duas longitudes, vel quantitates quæ per omnia sint sibi similes, duas rosas, duo ova, &c. duos radios solares, duas portiones aquæ, &c. unde si velis omnibus omnino individuis applicare videas quomodo his allegatis sufficientem per prædictas proprietates assignes differentiam. Interea pro majori intelligentia & claritate, individuum definitio essentialitèr, &

Dico 4. Individuum primò intentionalitèr sumptum est illud, cui repugnat intrinsecè dividi in plures partes objectivas, quarum quælibet sit ipsum. Est communis, & probatur, Quia per individuum intelligimus illud, quod opponitur universali, seu quod non habet talem modum inexistendi pluribus, sicut habet universale, sed oppositum, sed cui convenit posita definitio non habet talem modum inexistendi pluribus, sed oppositum, ergò est bona descriptio individui.

T Con-

Definitio itaq; altera.

Confirmatur explicando ipsam definitionem, dicitur enim primò illud, id est, quæcunq; res; dicitur, cui repugnat intrinsecè dividi in plures partes, ut excludatur natura communis singularizata, quæ licet nequeat existere in pluribus, hoc tamen non habet nisi ab extrinsecò, ratione hæcietatis, item potest colligi quòd tale ens quòd est in pluribus sine sui divisione, sit adhuc singulare cum nò dividatur in plures partes subiectivas, sicut natura divina est in tribus personis. Dicitur denique quarum quælibet sit ipsum, quia totum homogeneum singulare verbi gratià aqua potest dividi in plura, sic quòd ex una aqua fiant plures aquæ singulares, quia nulla ex aquis divisæ esset aqua primò divisæ, aliàs deberet posse dividi in tot & tantas aquas, sicut ipsa aqua quæ primò dividebatur.

QUÆSTIO V.

An ab omnibus Individuis possit abstrahi aliqua ratio communis?

I.
Sensus quaestio-
nis pro-
ponitur.

Notandum. Difficultatem non esse, nec sermonem, an ab omnibus individuis possit abstrahi aliqua ratio communis quomodo-
docund; : sic enim certum est quòd ab omnibus individuis humanis possit abstrahi ratio viventis, animalis, & etiam rationalis, sed difficultas est, an ab omnibus individuis sub præcisa ratione individuorum formalitèr possit abstrahi ratio individui communis, sicut ab omnibus hominibus abstrahitur ratio hominis ut sic. Notandum iterum nec esse sermonem de individuis secundo intentionalitèr sumptis, sed de individuis sub prima intentione, quam intrinsecè important. In qua materia duplex est sententia; Negativa prima, quam tuerentur Fonseca, Toletus, Scotus, & plurimi Scotista, inter quos mordicus hanc sententiam negantem defendunt Pasqualig, & Pontius moti ex eo quòd Scotus I. d. 3. q. 3. sub litt. I. & in 2. d. 3. q. 6. §. ad quaestionem doceat differentias essentielles esse primò diversas & in nullo conceptu per se uno quidditative convenientes; Affirmativa est secunda, cum D. Thoma, Hurtado, Oviedo, Arriaga, Merinero & tolemioribus Scotistis, Maltrio & Belluto, Barone, &c. an magis illi quam huic affirmativæ sententiæ patrocinetur Scotus, patebit statim. Unde cum eadem ad quaest.

II.
Ab omnibus
individuis
potest ab-
strahi ratio
communis.

Dico: potest abstrahi ab omnibus individuis conceptus communis singularis & predicabilis de quolibet inferiori in quid. Hæc Conclusio est cum secunda sententia contra primam, quare

Probatur Concl primò: Autoritate D. Augustini lib. 7. de Trinit. cap. 4. ubi expressè id docet, & ne mentem ejus ambiguum suspiceris, eum paulò fusiùs referam ut ex toto discursu quem facit facilis & clarius doctrina ejus pateat, dicit itaq; sic: *Cum queritur quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad aliquid speciale, vel generale inventiendum nomen, quò complectantur hæc tria: Pater ergò & Filius, & Spiritus Sanctus quoniam tres sunt, queramus quid tres sunt, & quid commune habeant. Quid igitur tres? Si enim tres persone*

commune est eis id quòd persona est, ergò speciale hoc, aut generale est nomen eis si consuetudinem loquendi respicimus. Et: Hic verò nulla est essentie diversitas, oportet ut speciale nomen habeant hæc tria, quòd tamen non invenitur: Nam persona generale nomen est in tantum, ut etiam homo possit hoc dici, cum tantum intersit inter hominem & Deum. Deinde in ipso generali vocabulo si propterea dicimus tres personas, quia commune est id quòd persona est, alioquin nullo modo possunt ita dici, quemadmodum non dicuntur tres Filii; Et inferius: Quam enim illis est commune nomen essentie, ut singulus quisq; dicatur essentia, tam illis commune est, vel substantiæ, vel personæ vocabulum; Ex quibus clarè liquet expressè Divum Augustinum docere, personæ nomen & conceptum esse commune de singulis predicabilem, ergò; unde si ex hoc capite quòd videlicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus dicantur tres, sapientissimè D. Augustinus inferat, personam nomen esse commune: hinc de mente D. Bernardi quoq; dubitandum non venit, nam ipse quoq; dulcissimè concinnat lib. 5. de Consid. cap. 8. Personarum multiplicatèr & pluralitatèr cum unitate substantiæ Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse tres, ergò hoc nomen personæ eù est commune.

Probatur Conclusio secundò:

III.
Autoritate Scoti 1. d. 23. q. un. ubi circa finem postquam pro utraq; parte subtilissimè differuisset, concludit his verbis: *Ista igitur via supposita, sicut certa, quòd a personis potest abstrahi aliquis conceptus negativus negationis in genere, & hoc non solum a personis quasi constitutis, sed etiam a formalibus constitutivis earum; est dubitatio ulterior, utrum tale commune solummodo sit negativum abstrahibile ab eis, vel aliquid positivum, & videtur quòd oporteat ponere aliquid positivum possibile abstrahi ab eis, propter verbum Augustini de doct. Christ. & Magistri in littera d. 25. quæ additæ sunt contra opinionem, potest dici quòd ab individuis abstrahi potest non tantum species quæ dicit quidditatem inferiorum, sed etiam aliquid proprium. Vides quomodo non solummodo asserit & adstruit doctrinam nostram, sed & eam, sic definitivè ponit propter verbum Augustini, En reverentiam in Magnum Sanctum Doctorem: sed ne suspiceris, aut interpretari coneris, quasi ex mente aliorum hoc statuat, non verò veluti suam sententiam, clariorem percipe testificationem & doctrinam, ubi non modo sententiam nostram tradit, verum etiam modum, quò id verum sit, proponit, dum sic ait 1. d. 26. q. un. infra num. 11. Ad aliud dico, quòd licet aliquis conceptus communis possit haberi qui dicatur in quid de generatione divina & spiratione divina, imò forte qui dicatur in quid de Paternitate divina & creata, tamen nulla realitas potest esse in divinis aliquo modo distincta ex parte rei, à qua desumatur iste conceptus dictus in quid, quæ realitas sit determinabilis per aliam realitatem, sicut conceptus communis est determinabilis per alium conceptum in intellectu, & impossibilitas hujus & ratio satis dicta est; dico igitur quòd Paternitas & Filialitas non sunt duo primò diversa quantum ad intellectum, quin intellectu possit abstrahere aliquem conceptum realem communem, sed sunt primò diversa quantum ad realitatem & realitatem, ita quòd nullum unum gradum realitatis includant, qui sit quasi potens*

potentia & determinabilis per proprias differentias, vel quasi differentias proprias, sicut albedo & nigredo includunt realitatem aliquam ejusdem rationis determinabilem, per proprias differentias specificas earum, sive realitates a quibus sumuntur earum differentia specificae, & tunc illa propositio major quod primò distinctiva sunt primò diversa, debet intelligi de ipsis realitatibus quae primò constituunt ut quantum ad non in aliqua una realitate formali, quam formaliter inconvenientiam elidunt ambo. Hæc Doctor ibi. Confirmatur ex eodem 1. d. 2. q. 3. §. ad illa ubi docet hanc propositionem esse concedendam, singulare est universale, quia licet illud quod concipitur sit singularitas, modus tamen sub quo concipitur est universalitas. Sed

IV. Probatur Conclusio Ratione I.

Quia possunt omnia individua cognosci instar unius per conceptum correspondentem huic voci Individuum, cujus objectum non erit aliqua ratio præcisa ex parte objecti, sed aggregatum quoddam omnium individuationum, quod per distributionem accomodatam erit prædicabile de hac illa individuatione, hoc & illo individuo.

2. Quia hic Syllogismus est bonus: Omne individuum est incommunicabile, Petrus est individuum, ergò Petrus est incommunicabilis; sed si nihil daretur univocè commune omnibus individuis, ut sunt individua, talis Syllogismus non esset bonus, ergò debet aliquid commune admitti, patet ma. probatur minor. Terminus medius debet esse univocus in Syllogismo, alias extremitates non jungerentur in tertio, sed una extremitas cum medio termino secundum unam rationem, & alia secundum aliam & sic in Syllogismo erunt quatuor termini, ergò debet admitti aliquid commune omnibus individuis.

V. 3. Tum quia definitio individui omnibus in particulari convenit, non minùs quàm definitio hominis convenit omni homini, tum quia individuo ut sic competunt signa quantitativa omnis, nullus, &c. sed hæc non competunt nisi rebus communibus, ergò, patet minor, quia non dicimus Omnis, Petrus Omnis, Paulus, Omnis hic homo, &c.

Probatur 4. Cum Maffrio, argumento, quod in Metaphysica veluti efficacissimum adfert. Omnes individuationes & hæcitate non modò conveniunt in communi nomine, sed etiam in ipsa ratione hæcitate, ita ut assignata ratione quid sit hæcitate, eandem rationem intrinsecè & quidditative Petreitas & Pauleitas, sicut ipse Petrus & Paulus participant ipsam rationem humanitatis; ergò non modò in nomine, sed etiam in conceptu aliquo convenient Petreitas & Pauleitas, consequenter ab eis poterit abstrahi ratio aliqua communis omnibus individuis. Ad hanc rationem varii varia respondent, nulli tamen ad sufficientiam, & inter Scotistas aliqui dicunt, quòd inter hæcitate detur aliqua convenientia analogæ, quæ tamen non importat aliquem conceptum communem præcisum, sed solum quandam proportionem, quàm hæcitate servant inter se in modo constituendi & faciendi

differre. Sed hæc responsio non solvit argumentum, quod non modò probat convenientiam aliquam analogam, sed etiam univocam in conceptu hæcitate ut sic, singularum hæcitate; Ita si hoc argumentum non demonstraret conceptum communem univocum, in nullis præcisionibus objectivis, sive transcendentibus, sive prædicamentibus, probari posset conceptus aliquis communis univocè ab omnibus, quia semper licet poterit omnia entia non nisi analogicè & proportionalitèr convenire, similiter omnes homines non nisi proportionalitèr convenire in ratione humanitatis, quidquid enim adfertur ad probandum conceptum univocum inter homines, adfertur etiam in differentis individualibus, ergò, vel admittendus erit aliquis talis conceptus univocus inter illas, vel dicendum, quòd nec ab omnibus hominibus possit abstrahi aliquis conceptus univocus in ratione humanitatis, quod tamen nullus Scotista dicit.

VI. Opponitur contra Conclusionem

Au-
thoritas Scoti 2. d. 3. q. 6. ubi videtur omnem omnium convenientiam individuorum negare quæ talium, dicens: Omnis differentia differentium reducitur ad aliqua primò diversa, alioquin non esset status in differentibus, sed individua proprie differunt, quia sunt diversa aliquid idem entia, ergò eorum differentia reducitur ad aliqua primò diversa, &c. igitur præter creaturam in hoc & illo sunt aliqua primò diversa, quibus hoc & illud differunt, ergò. R. verum esse Scotum in præfato loco sic rigidum fuisse in admittendo aliquem conceptum communem, verum alibi temperavit istum rigorem, ut patet ex locis supra allegatis. Ideò ergò Scotus in præfati loco intelligendus est, quòd differentia sunt primò diversa, ita ut nullus conceptus communis adæquatus qui importaret aliquam veram realitatem possit ab eis abstrahi; non negavit tamen, quin ab omnibus possit abstrahi ratio aliqua communis ab omnibus inadæquate conceptis, imò hoc expressè docuit supra, unde Scotus benè intellectus non contra nos, sed est pro nobis.

VII. Arguitur ratione primo; Indi-

viduum, secundum nos benè definitur cum Porphyrio: quòd sit id, quod de uno solo prædicari potest, & cujus proprietatum collectio in nullo alio reperitur, sed si esset ab omnibus conceptus aliquis communis abstrahibilis, non prædicaretur de uno solo, nec proprietatum collectio in nullo alio esset, ergò, ma. patet, mi. probatur, quia tunc posset prædicari de pluribus, ergò. R. dist. ma. individuum definitur, &c. quòd de uno solo prædicari potest, ut quid, concedo ma. ut modus, nego ma. & dist. similiter minorem, nego consequentiam. Itaq; individuo tantum convenit prædicari de uno solo, si consideretur præcisè in quantum tale est, si verò consideretur sub modo concipiendi tunc potest prædicari de pluribus prædicatione tam exercitâ, quàm signatâ; unde quando prædicatur ut modus, tunc individuum tantum confusè & inadæquate concipitur. si verò conciperetur adæquate & clarè, tunc ipsi repugnaret talitèr prædicari.

T a Instatur.

Instatur. Porphyrius definiens individuum, tradensq; allegatas definitiones pro exemplis attulit ut *Socrates, hoc album*, ergò non definiuit individua confusè accepta, sed clarè quoniam si individuum in communi acceptum definiuisset non valeret exempla data, ergò. *R.* Porphyrium illa exempla attulisse non quia immediatè *Socratem & hoc album* definiuit, sed ideò, quia omne quod signatur in secundis intentionibus, exercetur in primis, ut supra dictum est etiam in exemplis allatis à Porphyrio, quando definiuit genus & speciem.

Urgetur. Si immediatè non definiuit Porphyrius *Socratem & hoc album*, sequeretur quòd Petrum esse hominè non posset immediatè prædicari de Petro, sed hoc est inconueniens, ergò. Probatur sequela *ma.* Ideò non potest immediatè prædicari animal de Petro, quia mediat inter eum & animal, vel genus, species, sed hic etiam mediet ratio individui communis, ergò non posset immediatè prædicari de Petro, quòd Petrus sit homo. *R.* negando sequelam *ma.* cujus probationis majorem distinguo ideò, &c. quia mediat species importans veram realitatem, concedo *ma.* quia importat & mediat aliquid commune per purum conceptum nego *ma.* similiter dist. *mi.* sed hic mediet ratio individui importans veram realitatem nego *mi.* sed hic mediat ratio individui communis tantum per conceptum concedo *mi.* & nego consequentiam. Itaq; inter individuum & speciem medium datur per rationem, non verò aliquod medium à parte rei, unde à parte rei species est immediata individui, sicut individuum est immediatum generi (scilicet genericum) per rationem & conceptum, licet à parte rei sit mediatum.

Replicatur. Si mediet, deberet poni in prædicamentis, sed non ponitur, ergò non mediat, patet *ma.* quia series & coordinatio prædicamentorum requirit ut immediatoria semper sibi invicem subordinentur; *mi.* etiam patet, ergò. *R.* negando sequelam quòd scilicet medium inter Petrum & hominè, id est, ratio individui communis, debeat poni in prædicamentis, quia ibi non ponuntur nisi naturæ veræ, veræq; realitates, non verò modi naturæ, & putri conceptus inadæquati, qualis est individuatio.

Arguitur 2. In individuacione non potest dari ratio contrahibilis, & ratio contractiva, ergò nequit dari conceptus communis qui postea contrahatur per Petritatem & Pauleitatem, prob. ant. quia differentia individualis secundum rationem formalem individuacionis est ultimum contractivum, ergò non poterit ulterius contrahi. *R.* dist. ant. non potest dari in individuacione ratio contrahibilis, & ratio contractiva eadem sub ratione concedo ant. sub diversa ratione nego ant. & consequentiam; ad probat. ant. *R.* dist. quoq; Differentia individualis est ultimum contractivum verè & à parte rei concedo ant. veluti modus & conceptus nego ant. Individuatio licet sit à parte rei ultimum contractivum, per intellectum tamen inadæquate concipientem potest fieri universalis ut modus

Instatur. Contrahibile & contractivum important diversas formalitates, & unum debet esse extra rationem formalem alterius, ergò nequit dari sic conceptus communis, probatur consequentia, Quia contractiva illius non habebunt rationem individuacionis, sed quòd non habet rationem individuacionis nequit esse determinativum alicujus communis. *R.* dist. ant. Contrahibile & contractivum important diversas formalitates reales, si fiat contractio verè & à parte rei concedo ant. si fiat contractio per intellectum importantem diversas formalitates reales, nego ant. cujus antecedentis rationem sic pariter distinguo, unum debet esse extra aliud realitèr, si realitèr contrahantur concedo, unum debet esse extra aliud realitèr si per rationem contrahantur, nego ant. Itaq; in tali casu contractio per rationem facit etiam contrahibile & contractivum discerni, & unum esse extra aliud per rationem, non verò à parte rei; Itaque tam hoc quàm præcedens argumentum solum probat quòd non detur natura à parte rei individuacionis, quæ esset contrahibilis ad plura individua sicut est contrahibilis natura humana, quòd omninò verum est, quia hæc ceitas à parte rei est tantum contractiva, nec aliud reale munus exercet, quàm contrahendi & singularizandi, illa tamen realitas quæ à parte rei dicitur contractiva & hæc ceitas, potest inadæquate concipi ut convenit cum alia hæc ceitate in munere faciendi ultimè differre, & tunc inducit modum contrahibilis, & sic per intellectum eadem profusus realitas à parte rei dividi potest & partiri in duos conceptus, quorum unus sit communis & contrahibilis; alter contractivus & proprius, quorum unus sit extra alium per rationem, & duas habeant simul formalitates rationis.

Urgetur. Sicut ab omnibus individuacionibus potest abstrahi aliquis conceptus communis contrahibilis per individuaciones, ita potest deinde eam considerare intellectus ut contrahibilem iterum per differentias alias, & sic in infinitum, sed talis processus in infinitum vitiosus est, ergò. Probatur sequela, quia poterit intellectus denudè differentias individuales illam contrahentes inadæquate concipere, sed ex tali inadæquato conceptu iterum individuatio præscindet, & sic in infinitum, ergò. *R.* dist. sequelam *ma.* sicut ab omnibus, &c. & sic in infinitum in conceptibus, seu præcisionibus formalibus transeat *ma.* in præcisionibus objectivis nego *ma.* & similiter dist. *mi.* sed inconueniens est admittere processum in infinitum, in præcisionibus objectivis, concedo *mi.* in præcisionibus formalibus, nego *mi.* & consequentiam. Itaque non videtur magnum esse inconueniens in actibus intellectus quòd priorem repetat abstractionem de eodem objecto processum in infinitum admittere, præter defatigationem capitis, tibi ergò consule.

Arguitur 3. Idem non potest esse ratio formalis conveniendi & disconveniendi, sed individuatio est ratio formalis disconveniendi, IX.

VIII.
Secundum.

IX.
Tertium.

venienti, ergo nequit habere rationem conveniendi. R. dist. ma. non potest esse ratio conveniendi & disconveniendi si eodem modo sumatur transeat ma. si diversimodè sumatur nego ma. & distinctà similiter mi. nego consequentiam. Individuatio, ergo in communi est ratio conveniendi, quia sic est confusè & inadæquate cognita, habetq; rationem communis, adæquate verò & clarè cognita est ratio differendi ut Petreitas & Pauleitas.

Inlatur; Nihil potest concipi sub conceptu sibi repugante, sed natura individuationis est ut sit una de se hæc numero, ergo non potest concipi veluti communis quomodocunq; concipitur, quia revera concipitur conceptu repugante, quod implicat. R. concessa ma. dist. mi. Individuatio est de se hæc numero essentialitèr à parte rei & adæquate concepta concedo mi. inadæquate concepta nego mi. & consequentiam. Quia argumentum tantum probat individuationem non posse esse communem ut quid, eò modò, quò est natura humana, vel bovina, non verò quòd non possit esse communis ut modus, nec propterea concipietur sub modo repugante sibi, quia modus repugans sibi tantum est, quòd non possit concipi communis communitate per veram realitatem importatà, non verò per purum rationis conceptum.

Urgetur; Eadem ratione natura divina possit dicit universalis quòd tamen est inconveniens ergò, probatur assumptum, quia natura divina etiam poterit inadæquate concipi: ergò. R. negando sequelam disparitas est, quia habemus fundamentum ad concipiendam singularitatem sub ratione communi, quale non habemus in natura divina, aut quacunq; alia im-multiplicabili, quia individualitates sunt plures à parte rei, & inter se habent aliquam similitudinem, seu convenientiam virtuales & fundamentalem in modo constituendi & distinguendi individua, quale non habet natura divina.

Replicatur; Si talis convenientia & similitudo in modo faciendi differre & constituendi sufficit debet admitti communitas à parte rei, sed talis non est conceptus per puram rationem, ergò: probatur sequela majoris, Ex reali similitudine Petri & Pauli in natura humana arguitur communitas realis naturæ, ergò etiam ex eo quòd Petreitas & Pauleitas sibi similes sint, debet admitti communitas realis. R. negando sequelam ma. & probationis paritatem Quia similitudo Petri & Pauli est realis, formalis, & actualis, ideoq; erit fundamentum actuale, similitudo autem Petreitatis & Pauleitatis est solum fundamentalis, cum à parte rei sint simpliciter simplices formalitèr facientes differre, & simpliciter alterius ac alterius rationis & primò diversè.

QUESTIO VI.

An natura creata individuetur per aliquid superadditum, & an illud sit quid positivum.

Suppono tanquam certissimum, quòd quidquid in rerum natura à parte rei existit id

esse singulare, nam sic non modò docet Philosophus pluribus in locis contra Platonem, sed etiam ipsa ratio clarè demonstrat: nam quidquid in rerum natura est, aut est Deus, aut creatura, Deus est singularissimus, omne autem creatum necessariò singulare esse debet, quia omnis productio cum sit singularis, in rem singularem tendit I. Met. cap. I. quò supposito veluti certo, & indubitato; in presenti quæstione quaeritur, an illa res sit singularis per semetipsam existentem & essentiam suam, an verò per aliquid additum naturæ, & illud an sit quid positivum, an verò quid negativum? Nominales post ducem suum Oechamum docent singularitatem nihil esse præter essentiam ipsius naturæ, nam quemadmodum natura ex se formalitèr est natura, ita etiam ex se est singularis, Oechamum sequuntur Durandus, Clureolus, & plures Thomista in substantiis Spiritualibus, In eandem sententiam multum inclinat imò expressè tenet Baro, nisi quòd Apolog. 5. Met. act. 2. gloriètur nullum hætenus subtilitatem hanc ex Scotistis conformitèr ad mentem Scoti attigisse, unde ipse ut putat de mente Scoti nullum requiri superadditum realitèr vel formalitèr, ut natura sit singularis: requiri tamen aliquod positivum superadditum ad hoc, ut natura una distinguatur ab alia quantum ad individua, seu ut constituantur individua primò diversa & distinguantur ab aliis; Verùm non mihi videtur tantum hic in hac distinctione latere subtilitatis, quòd eam Scotistæ priores attigisse non debuerint, imò Baro solemnissimi principii Scotici tunc oblitus, fuisse debuit, quando hæc distinxit: scilicet, illud est principium distinctivum alicujus rei, quòd est ipsius constitutum, si ergò ad constituendam naturam singularem non requiritur aliquod principium positivum superadditum, nec requiretur ad eam distinguendam, & si e contra requiritur ad distinguenda individua & faciendum ut sint primò diversa, ergò etiam ad ea constituenda propter rationis paritatem, ex una & altera parte, quare ad primam partem quæstionis.

Varia sententia.

DICO I. Nulla res creata est singularis & individua ex suo principii intrinsicis, sed per aliquid superadditum. Hæc est communis, Realium contra Nominales: &

II. Natura est singularis per aliquid superadditum.

Probatur primò: Natura quæcunq; licet sit secundum se ad prædicata sua essentialia, nempe animalitatem & rationalitatem, natura humana, non est tamen determinata ad principia individualia: ergò ut sit à parte rei natura Petri, vel Pauli, debet habere aliquid per quòd determinetur ut sit hujus potius quàm illius, ant. patet quoad primam partem, scilicet, quòd ex se sit tantum determinata ad principia & prædicata sua essentialia; probatur etiam quoad alteram partem, quia humanitas, verbi gratià ex se est indifferens ut sit in Petro & in Paulo, probatur etiam consequentia principalis, Quia ex eo quòd videmus naturam genericam esse indeterminatam ad plures species concedimus ei plures species per quas determinetur ad unam potius quàm ad aliam, ergò etiam si natura specifica est indeterminata, plura concedi debebunt per quæ determinetur ad individua sicut genus determinetur ad species.

T 3 Probatur

Probatur secundò: Quia si in conceptu naturæ humanæ includerentur essentialiter & quidditative secundum prædicata intrinseca, principia individuantiæ verbi gratiâ Petreitas & Pauleitas, sequeretur quòd de Joanne & Jacobo essentialiter & quidditative prædicarentur Petreitas & Pauleitas, non minus quàm essentialiter prædicatur de iis animal rationale, sed hoc est inconvenientissimum & falsissimum ergò: probatur sequela; Quia quidquid inest alicui ex natura sua, per se inest ei in quocunq; ponatur, sed Petreitas & Pauleitas inest naturæ humanæ per se & ex natura sua, ergò inest etiam ei si natura humana poneretur in Joanne & Jacobo, ergò etiam de iis posset essentialiter prædicari.

Confirmatur Conclusio; Quia experientia constat, quòd haberi possit conceptus essentialis cujuscunq; naturæ, præscindendo à differentiis individualibus, ergò quilibet gradus ut individualis est extra essentialiam naturæ, & consequenter illi superadditus, probatur ant. quia consideratâ solâ animalitate & rationalitate habetur conceptus essentialis hominis adæquatus, præscindendo à Petreitate & Pauleitate ergò.

III.
Opponitur
& solvitur
Aristoteles.

Opponitur; Contra Conclusionem Authoritas tum Aristotelis 10. Met. 26. circa finem ubi quòd ultima divisio quæ est per se & essentialis fit per differentias específicas, ergò non datur ulterior divisio per gradus individuales: tum Scoti 2. d. 3. q. 1. ab initio §. hic dicitur, ubi refert fundamentum Nominalium, quòd natura habeat esse verum extra animam, non autem habet esse in anima nisi ab alio, id est, ab anima ipsa, sed esse in anima est communitas, & esse extra animam est singularitas, ergò ex se simpliciter habet natura esse singularis: quia esse extra animam simpliciter ei competit; & esse universalem ab anima, seu secundum quid tantum. Verumtamen ꝛ. ad Aristotelem ibi tantum loqui de ultimis differentiis quæ faciunt specificam contrarietatem, & sic dicit esse differentias específicas: per hoc tamen non negat speciem iterum dividi per individua, cum individuum in linea prædicamentali sit infra speciem, sed tantum vult quòd non amplius dividatur per aliquid constitutum essentialiter speciei, seu constituti quidditativum, & sic dicit quòd si ulterius dividatur, quòd sit divisio per accidens, sumendo per accidens pro eo quòd non ingreditur intrinseca principia & prædicata constitutiva essentialia, & sic probat pro nobis; quòd si species adhuc dividatur non dividi se ipsâ ad singularia, sed per aliquod superadditum posterius. Ad Scotum ꝛ. illum non agere contra Conclusionem ibi, sed simpliciter referre sententiam Nominalium, non verò per modum contrarii asserti, quare ipse in fine questionis Respondet negando mi. quoad illam partem, quòd communitas sit esse in anima, quia non minus quàm singularitas, sic communitas convenit naturæ extra intellectum; cum hac tamen differentia, quòd communitas conveniat naturæ ex se, singularitas autem per aliquid in re contrahens ipsam; unde si communitati non est quærendum aliquid in anima,

singularitatis tamen causam necesse est quærere, quæ superaddit aliquid illi naturæ cujus est; Quòd si verò per communitatem intelligant Nominalem universalitatem sub secunda intentione, tunc quidem verum est quòd universalitas sit quid in anima, tamen hic non est sermo de secundis sed de primis intentionibus.

Arguitur 2. Ex ratione, Illud superadditum, vel esset quid essentialiale, vel quid accidentale, sed neutrum dici potest, ergò non erit aliquid superadditum naturæ ad hoc ut singularis sit; ma. patet probatur minor, non essentialiale, quia alioquin species posset dividi per essentialia differentias, & sic species non esset tota essentialia individuorum, ergò: nec etiam accidentale, quia sic individuum esset ens per accidens, ergò. ꝛ. concessa ma. negando mi. cujus primam probationem distinguo, Non essentialiale, si sumatur essentialiale pro præcisa entitate quidditativa, concedo, si essentialiale sumatur pro omni intrinseco alicujus, nego; unde non licet inferre, quòd tunc species per essentialia differentias divideretur, quia tunc essentialiale sumitur quatenus denotat differentiam aliquam essentialiam dicentem quidditatem. Similiter distinguo ant. alterius probationis; Nec etiam accidentale, si accidentale sumatur pro eo quòd non præ se fert entitatem quidditatem, nego ant. si sumatur pro entitate aliqua extrinseca adveniente concedo, si priori modò sumatur accidentale, tunc non licet inferre quòd individuum sit unum per accidens, quia entitas quidditativa natura verè contrahibilis & divisibilis numero cum entitate non quidditativa, sed per se contrahente unum individuum per se constituere possunt alicujus unius prædicamenti, de quo species verè prædicetur.

Instatur; Si per aliquid superadditum, five sit accidentale, five essentialiale individuetur, natura species specialissima, seu infima non est athoma, sed hoc est contra Porphyrium ergò: probatur sequela, quia illa non est species athoma, quæ est adhuc divisibilis per plures differentias, sed hæc esset, ergò. ꝛ. negando sequelam ma. cujus majoris probationem distinguo, illa non est species athoma quæ est divisibilis per plures differentias essentialia, concedo ma. per plures differentias individuales nego ma. & similiter distincâ mi. nego consequentiam, Itaq; species infima non dicitur præcisè athoma, quia non potest ullo modo dividi amplius, sed idèd, quia per alias differentias específicas amplius non dividitur, unde species infima non simpliciter athoma, id est simpliciter indivisibilis, sed indivisibilis in plures species, quæ indivisibilitas secum compatitur divisibilitatem in plura individua.

Urgetur. Species infima esset adhuc contrahibilis per differentias específicas, ergò non esset adhuc athoma, probatur ant. quia esset contrahibilis per differentias, quæ habent rationem conveniendi simul, sed quæ contrahuntur per plures rationes conveniendi simul, contrahuntur per differentias específicas ergò: probatur ma. quia individuatio Petri & individuatio Pauli, Joannis &c. convenirent in ratione individuandi, ergò. ꝛ. negando ant. cum probat.

IV.
Argumentum
ex ratione

probat. ma. individuatio Petri & individua-
tio Pauli convenient in ratione individua-
tis, si considerentur ut quid præcisè, nego, si
considerentur confusè & ut modus nego, Re-
curre ad dicta in præcedenti quæstione.

DICO 2. Illud super additum, per quod natura
creata individuetur, est quid positivum ad quod sequi-
tur negatio divisibilitatis. Hæc est Scoti Et Scoti-
starum omnium, quam alii passim etiam reci-
piunt, ut Suarez Raguseus, Contarenus, Ami-
cus &c.

Probatur Conclusio primò;
Omnis negatio quæ est repugnantia, aut quæ
nequit separari à subjecto præsupponit in illo
subjecto aliquid positivum, ratione cuius com-
petat illa negatio ipsi inseparabiliter, sed nega-
tio divisibilitatis quam dicit Petrus nequit se-
parari à Petro, repugnat enim Petro ut multi-
plicetur numero, ergò præsupponit in ipso ali-
quid positivum, sed non naturam specificam,
quia hæc formalitèr loquendo præscindit ab
hæcitate, estq; multiplicabilis numero, mi-
patet, ma. probatur inductione, nam negatio
corporeitatis in angelo quæ est negatio repu-
gnantia (de similibus enim hic sermo est) con-
venit angelo per aliquam formalitatem po-
sitivam, negatio hincibilis in homine per
rationalitatem, & sic de aliis. Dixi negatio repu-
gnantia ad excludendas simplices negatio-
nes & privationes, quia quamvis in sensu com-
posito repugnet alicui, non tamen in sensu
diviso, verbi gratia in cæco negatio visus, quem
Deus tamen illuminare potest, secus est de an-
gelo cui simpliciter & in omni sensu repugnat
esse corporeum.

Dices; Dantur adhuc aliquæ simplices
negationes, ratione quarum unum simpliciter
& absolute repugnat alicui alteri, ergò, proba-
tur ant. Quia personæ creatæ per simplicem
negationem ut quo, & ut quod omninò repu-
gnat communicari alteri, ergò, R. illam dupli-
cem negationem communicabilitatis, ut quo, &
ut quod non esse adhuc repugnantia, sed esse
tantum actualis & aptitudinalis communicabi-
litas, atq; proinde negatio repugnantia non
competit personæ creatæ, quia ei simpliciter &
absolute non repugnat communicari alteri, sed
tantum secundum quid, quia talis repugnantia
est ab ea separabilis asserendo illam duplicem
negationem

Probatur Conclusio secundò:
Per negationem non constituitur aliquid in en-
titate perfectiori formalitèr, quam sit illa enti-
tas præsupposita negationi, quia negatio ut ne-
gatio nullam dicit perfectionem, sed prima sub-
stantia secundum Aristotelem in prædicamen-
to substantiæ est maximè substantia, & magis
substantia quam secunda, ergò non poterit
constitui formalitèr per negationem in quan-
tum distinguitur à substantia prima.

Probatur Conclusio tertio:
Illud per quod species est athoma & indivisibi-
lis est ens positivum, ergò multò magis id, per
quod est individuum individuum, probatur
consequentia, quia unitas numeralis est major
& perfectior, quam sit unitas specifica, ergò sic

ut unitas specifica est positiva, ita etiam debet
esse unitas numerica.

Confirmatur; Ita differt sub eadem
specie unum individuum ab alio, sicut una spe-
cies ab alia sub eodem genere, sed una species
ab alia non differt per simplicem negationem,
sed per aliquam sui differentiam constituti-
vam, ergò etiam individuum. Secundò. Quia
Petrus differt à Paulo non quidem per simpli-
cem negationem, quasi solum quædam negatio
sit in uno, quæ non sit in alio, sed omninò dif-
fert aliquâ entitate positivâ quatenus est quæ-
dam entitas in uno, quæ non est in alio & in hæc
entitate fundatur ista negatio.

Arguitur in contra. Individuum
formaliter constituitur per indivisionem, sed
indivisio non est aliud formalitèr quam nega-
tio, ergò individuum constituitur formalitèr
per negationem, R. dist. ma. si individuum
consideretur prout est ens per infimum gradum
in linea recta prædicamentali constitutum ne-
go ma. si consideretur veluti unum quod expli-
cetur per indivisionem concedo ma. Itaq; si
individuum primo modo spectetur, tunc indi-
viduum constituitur formalitèr tale per infi-
mum gradum entis, ultimo naturæ communis
determinativum, ad quem unitas individualis
consequitur veluti ejus propria passio, quæ licet
explicetur per negationem prout à nobis concipitur,
importat tamen adhuc aliquid posi-
tivum.

Instatur; Sequeretur quòd tunc in uno
eodemq; individuo esset duplex entitas, sed
hoc non videtur admittendum ergò. R. dist.
ma. esset duplex entitas: hoc est, duplex forma-
litas concedo ma. duplex entitas: id est, du-
plex res nego ma. similiter distincta mi. nego
consequentiam.

QUÆSTIO VII.

Quod nam sit principium indivi-
duationis?

In præcedente quæstione determi-
navi principium individuationis esse aliquid
positivum, restat ut hic examinem quid nam sit
illud positivum? Circa quam materiam multi-
plex omninò fuit Antiquiorum & Thomista-
rum sententia:

Prima erat Henrici, Ægidii Romani,
Bonetti, Rogerii de Bacconis, qui omnes pro
principio individuationis statuebant ipsam re-
rum existentiam ita ut eo ipso quo res habent
existentiam etiam habeant principium indivi-
duationis, adeoq; aliud principium individua-
tionis non esse querendum, præter ipsam rerum
existentiam.

Secunda Sententia asseruit principium
individuationis esse quantitatem, ita sensit Go-
dofredus prout ipsum Marginista Scoti citant;
cui Aureolus & plures Thomistæ adherere
videntur.

Tertia Sententia est multorum Sancto-
rum Patrum Basili, Damasceni, Boëthii,
imò Porphyrii cum Avicenna, qui ponere vi-
dentur

VIII.

I.
Varia An-
thorum Sen-
tentia.

dentur principium individuationis collectionem omnium accidentium, cui etiam subscribere videntur plures Recentiores, in quantum existimant causam determinare ad hunc numero effectum per circumstantias loci & temporis, de qua re in Physica, ita Suarez, Vasquez &c.

Quarta Sententia est materiam nudam id est secundum se spectatam esse principium individuationis, ita quidam Antiquiores Thomistæ, quia tamen Juniores viderunt difficile esse sustineri materiam præcisè secundum se spectatam debere poni pro principio individuationis, idè ab isto rigore ex parte declinant & dicunt materiam signatam, quam signationem ipsimet Thomistæ variè lacerant, nam Capreolus, Ferrara, Soncinas &c. per materiam signatam intelligunt materiam quantitate formali affectam, Cajetanus dicit materiam signatam esse quæ non actu est eadem quantitate affecta, sed capax tantum hujus & non alterius ita ut per solum ordinem & respectum ad eam recipiendam dicatur esse principium individuationis: Alii aliter istam sigillationem per distillant.

Quinta Sententia est Averroistarum post Averroem, qui pro principio individuationis rerum materialium ponunt ipsam formam solum, alii addunt formæ materiam, ita Zabarella, Niphus Pererius, Durandus &c.

Sexta Sententia est D. Thomæ & passim Thomistarum Blasii à Concept. Bannes Joannis à S. Thoma &c. qui formarum substantialium individuationis principium esse materiam, & accidentalium subjectum dicunt.

Ultima deniq; Sententia est Doctoris in 2. d. 3. ubi refutatis & rejectis aliorum opinionibus, tandem questione sexta, candidè aperit mentem suam, & dicit principium individuationis esse, individualem differentiam contrahentem naturam ad esse hanc, & dantem formalitèr individuo esse indivisibile in plura, de quibus prædicetur prædicatione dicente hoc est hoc, hæc individualis differentia in Schola Scoti nunc (quamvis ipse terminus apud Scotum non sit) vocatur hæcitas, ex eo quòd faciat rem determinatam & hanc, dicitur etiam singularitas, quia facit rem, in qua est, singularem, seu in communicabilem; dicitur etiam individualitas, seu Pauleitas, vel Petreitas, quia contrahit naturam specificam ad Petrum & ad Paulum; Scotum sequuntur omnes ferè Reales extra Scholam Sancti Thomæ, cui sententiæ vi obligationis ad verbum Magistri etiam subscribam, prius tamen subtilem imitando, aliorum sententias breviter refutabo. unde

II. Dico I. Existencia non est principium formale individuationis. Ita Doctor 2. d. 3. q. 3. & Suarez.

Probatur Conclusio primò; Ratione Doctoris in terminis. Quod non est ex se distinctum & determinatum, non potest esse primum distinguens ac determinans aliud, sed esse existentiæ eo modo, quo distinguitur ab esse essentiæ, non est esse distinctum ac determinatum, non enim esse existentiæ habet proprias differentias, alias à differentiis esse essentiæ, quia tunc oporteret ponere propriam coordinati-

tionem existentiarum aliam à coordinatione essentialium, sed præcisè determinatur ex determinatione alterius, igitur non determinat aliquid aliud.

Probatur Conclusio secundò; Quia effectus formalis individuationis est omnino diversus ab effectu formali existentiæ, ergò existentiæ non est principium individuationis, probatur ant. Effectus formalis individuationis est determinare naturam ad infimum gradum entis, ut incommunicabiliter se habeat, & sit de se hæc numero designabilis; effectus verò existentiæ, seu actualis, seu possibilis, est ratio ponens rem illam extra causas cujus est existentiæ, actualis enim actu ponit, potentialis potest ponere.

Probatur tertio; Individuatio universalitèr præcedit existentiam tam in esse actuali, quàm in esse possibili, ergò non potest esse principium individuationis: probatur ant. Quia existentiæ est actus ultimus ordinatus ad constituendam rem extra causas, ergò supponit rem extra causas constituendam quoad omnem gradum essendi prædicamentalem, etiam ultimum, qui est individualis, probatur consequentia. Quia non potest fieri existens sola animalitas absq; rationalitate, nec sola humanitas absq; individuatione, ergò existentiæ supponit rem quæ dicitur possibilis existere completam etiam individualitèr, quia ad complementum inter omnes gradus præcipuè requiritur gradus individualis.

Confirmatur; Quia individuum ut tale etiam ponitur in prædicamento, ergò quidquid concurret ad ejus constitutionem, debet etiam ibi poni, sed existentiæ non ponitur in prædicamentis, omnia enim prædicamentalia abstrahunt ab existentiæ, ergò non est principium constitutivum ejus.

Arguitur incontra. Illud est principium individuationis ad quod generatio terminatur, sed ad existentiam actualem terminatur generatio, ergò existentiæ erit principium individuationis, ma. patet, quia ad individuum ut singulare est & hoc, primò terminatur. R. 1. negando ma. quia generatio terminatur ad individuum quod non est principium individuationis, unde licet generatio terminetur ad individuum etiam ut existens, ex hoc tamen non sequitur quòd existentiæ sit principium individuationis, ut existentiæ concomitatur principium individuationis, sic licet generatio sit singularis existentiæ, non est tamen ut singularis, sed ut existentiæ. R. 2. negando mi. quia generatio non terminatur ad existentiam, sed ad existens.

Instatur: Per principium individuationis distinguitur una res ab alia, sed per esse existentiæ unum individuum distinguitur realitèr & numeralitèr ab alio, ergò esse existentiæ est principium individuationis. R. negando mi. loquendo absolute, quia unum individuum non distinguitur primò singularitèr per actualem suam existentiam, sed per aliquid prius, nempe per ultimum actum in coordinatione & serie prædicamentali, qui per se ad talem seriem spectat, unde dicit Doctor quòd licet existentiæ sit ultimus

ultimus actus ultimo distinguens, non distinguit tamen ultimo distinctione spectante ad seriem predicamentalem, sed distinctione quae extra totam per se coordinationem predicamentalem. Dixi absolute loquendo mi. esse falsam, quia si sermo sit de distinctione vera & quidditativa reali, tunc ad constituendum integrum & totale fundamentum distinctionis realis requiritur singularitas simul cum existentia, ut supra dixi sed

Urgetur. Illud prius dicitur complere, quod prius ingreditur essentiam rei, sed existentia ingreditur simpliciter essentiam rei, & individuatione non sic ingreditur esse rei, sed est extra ipsum tanquam quid consequens, ergo existentia prius complet unamquamque rem, ita ut ratione ipsius subsistat potentiae agentis, & consequenter existentia erit principium individuationis. R. negando mi. quia res ut supra dixi e contra se habet, quia licet individuatione non pertineat ad esse quidditativum ipsius individui, quod in solis praedicatis specificis dicitur consistere, pertinet tamen ad esse intrinsecum ac entitativum ejus, quia est differentia constituens individua cum natura specifica in ultimo esse determinabili intra seriem predicamentalem, existentia vero non est differentia constituens individuum, nec pertinens ad intrinsecum conceptum ejus, sed tantum est modus ejus intrinsecus & solum pertinet ad esse rei non quia conferat novum gradum essendi, sed ideo, quia facit illud in actu, & sic negatur etiam consequentia inde deducta.

IV. *sermo admodum rebus simplicibus*

Dico 2. Nec quantitas, nec ullum aliud accidens, nec ulla accidentium collectio, est principium individuationis formale substantiae. Ita D. q. 4. supra. Probatur quoad primam partem de quantitate.

Primò. Quia substantia prima ut sic non habet suam entitatem individualemente a quantitate, ergo nec unitatem quae ipsam concomitatur, consequentia patet, probatur aut. Quia etiam infimus gradus substantiae est substantialis, ergo hunc acquirere non potest a quantitate, quae est merum accidens, & inferioris ordinis quod nullo modo seipso perfectius dare potest alteri, quam ipsum habeat.

Secundò. Si quantitas esset principium individuationis substantiae, ipsa deberet primò esse de se haec & individua, & sic distincta numeraliter ab alia: quod enim est unum speciei, non potest esse ratio essendi alteri unum numero, sed quantitas non est de se haec & una numero, ergo ipsa non potest esse individuationis principium, ma. patet. ex rationibus appositis, probatur mi. quia tam bene in quantitate, quam in aliis rebus consideratur natura communis, ergo non est de se haec, probatur aut. quia ratio linearum tam bene communis est ad lineam rectam & curvam, quam animal ad hominem & leonem; hinc Probat Doctor quod quantitas non modo non in genere substantiae, sed nec in genere quantitatis possit esse principium individuationis, Quia esse divisibile in plures partes subjectivas non competit naturae communi per quantitatem, ergo quantitas non est principium

F. Amandi Hermann Logica.

individuationis, probatur aut. quia quod est ratio divisibilitatis inest formaliter illi quod est divisibile tali divisione, sed quantitas non inest formaliter speciei, seu toti universali, in quantum est divisibile in plures partes subjectivas; ergo ipsa non est ratio divisibilitatis talis totius in partes tales: ma. patet probatur mi. quia totum universale quod dividitur in individua & in partes subjectivas praedicatur de qualibet illarum partium subjectivarum, ita quod qualibet pars subjectiva sit ipsum; partes autem quantitativae in quas fit divisio continui nunquam recipiunt praedicationem totius divisi in ipsas; per quod patet quid dicendum sit ad eandem objectionem quam sibi Doctor in corpore objicit, quod scilicet quidquid per se competit alicui alteri, competit ei in quocumque; est, sed per se competit quantitati dividi in plures partes, ergo, quia quantitati non competit per se primo & ex ratione quantitatis, dividi in plures partes subjectivas, bene tamen in plures partes integrales & quantitativas.

Probatur Eadem pars tertio: V.

argumento Theologico. Sit substantia materialis individuetur per quantitatem, sequeretur quod nullus panis singularis transsubstantiatus esset in Eucharistia in Corpus Christi, sed hoc est haereticum, ergo: probatur sequela, quia nullum singulare transsubstantiatur in aliud, nisi singularitas unius transsubstantietur in singularitatem alterius, sed quando panis transsubstantiatur in Eucharistia in Corpus Christi, manet singularitas istius panis: ergo nullus panis singularis transsubstantiaretur in Corpus Christi, probatur minor, quia maneret ratio istius singularitatis, quia videlicet maneret quantitas quae secundum opinionem contrariam est principium, & ratio individuationis. Imò Doctor in Mysterio Eucharistiae adhuc plura adducit absurda inde secutura quae tamen brevitate causa omitto, ergo.

Probatur Conclusio quoad VI.

alteram partem, scilicet quod nec ulla accidentium collectio sit principium individuationis. Si aliquod accidens, vel etiam ipsa tota collectio esset principium individuationis, sequeretur quod substantia de se non mutata substantialiter transiret ab hac, ad non hanc, & e contra à non hac ad hanc, sed hoc implicat ergo: probatur sequela ma. Quia substantia sine contradictione potest fieri & esse sine quocumque accidente, quia ipsis est prior naturaliter, ergo ipsa non mutata substantialiter de hac fieret non hanc per solam accidentium variationem &c.

Confirmatur. Quia potest tota collectio accidentium panis assignari, absque eo quod assignetur hic panis, ergo tota collectio accidentium non potest esse principium individuationis, quia nullum principium individuationis potest esse separatum & distinctum sine eo, cujus est principium individuationis, aut. patet, quia in Eucharistia assignatur tota collectio accidentium panis absque eo, quod assignetur, & sit ibi hic panis. Sed contra hanc partem VII.

Opponitur Authoritas multorum Sanctorum Patrum, imò & ipsiusmet divi Augustini, U

Opponuntur & explicantur Patres.

gustini, qui cap. 9. Dialecticæ asserere videtur unum individuum distinguere ab alio, nam teste Nebridio unum hominem ab alio non distinguit nisi quod unus sedeat alter stet, unus pauper, alter dives sit &c. Damasceni qui in sua Dialecticæ cap. 30. & 42. ait accidentia esse characteristicas proprietates quibus tanquam certis notis hypostasis exprimitur, & alibi plura similia. Boëthii lib. 1. Trin. cap. 5. ubi dicit: in numero differentiam, varietas accidentium facit: his similia habent Basilii, Nissenus &c. Verumtamen his & omnibus similibus auctoritatibus unica responsione satisfacio, videlicet sanctos Patres, & similiter omnes Philosophos tantum velle, quod individua distinguantur per accidentia distinctione & constitutione extrinsecâ secundariâ, & quoad nos, non verò quod distinguantur per accidentia differentia primaria & quoad se, duplex namq; est differentia individualis, una intrinseca, altera extrinseca; intrinseca est quæ consideratur fieri per principia quæ principaliter concurrunt ad constituendum individuum; extrinseca verò est, quæ ad tale constituendum non concurrunt, sed jam constitutum reperit & accidentaliter unum ab alio differre facit, Imò universaliter ad alias objectiones de quantitate respondere poteris tum per hæc dicta, tum per diversitatem quæ quantitas dividitur in partes integrales, & quæ dividitur in partes subjectivas; in quantum enim dividitur in partes subjectivas, non est principium ipsa quantitas, bene tamen in quantum dividitur in partes integrales.

VIII.
Nec materia
verum mate-
rialium.

Dico 3. Materia nec sola, nec signata, seu quantitate affecta, est principium individuationis verum materialium. Est Doctoris supra quæst. 5. Contra Thomistas contra quos

Probatur primò. Autoritate Aristotelis nam 5. Met. t. 35. & 39. & 12. Met. 27. docet materiam non esse de se primò individuum, sed ipsam distinguere in universalem & particularem; sicut in universum forma & compositum; nam sic habet (ut citat ipsum Aristoteli) 7. Met. 39. in fine Palam autem quod anima quædam substantia est, corpus verò materia, homo verò, aut animal quod est ex utrisq; ut universale, sed Socrates, aut Coriscus ut singulariter, ergò materia est in se quædam natura communis contrahibilis ad hanc & illam singularem materiam per differentias individuales, ergò non potest esse principium individuationis.

IX.

Probatur Conclusio secundò. Materia est pars quidditatis compositi prout, non modò Scotus, sed etiam D. Thomas docet, sed quod est in quidditate & essentia naturæ specificæ, non potest esse principium individuationis, quia hoc est extra essentiam naturæ, ergò materia nequit esse principium individuationis.

X.

Probatur tertio. Quia si materia, sive in communi, sive in particulari esset principium individuationis, sequeretur genitum & corruptum haberent idem principium individuationis, sed &c. ergò. Probatur sequela. Quia quando generatur ignis ex ligno, eadem nume-

ro materia quæ est in ligno est etiâ in igne postea, ergò si materia est principium individuationis ignis & lignum unicum haberent principium consequenter unicum tantum esset individuum. Propter hæc argumenta Thomistæ plurimi recedere ab isto rigore & dixerunt materiam non nudè sumptam, sed signatam principium individuationis, sed demonstrando quòd nec materia sit signata

Probatur Conclusio etiam quoad alteram partem primò. Quia formæ substantiales & accidentales materiales non individuuntur per materiam signatam, ergò, consequentia patet, antecedens etiam, quia eadem numero forma potest esse in diversis materiis, ergò non individuuntur per illam.

Secundò. Quia sicut intelligi potest quòd materia prima, aut quantitas individuatur se ipsâ, ita etiam potest intelligi quòd forma substantialis & quæcunq; alia res materialis individuatur se ipsâ, ergò frustra assignatur materia prima quomodocunq; considerata,

Probatur eadem pars tertio. Tum quia quantitas non potest adferre nisi unitatem distinctionemq; accidentalem, & quantitativam, sed unitas & distinctio quam adfert principium individuationis non est accidentalis, sed substantialis, ergò: tum quia substantia à toto genere, id est quoad omnes gradus genericum scilicet & specificum ac individualem præcedit accidens, ergò quantitate non indiget ut individuatur.

Dices. Substantiam ut sic præcedere quidem omne accidens, sed non ut est individua, quemadmodum paries præcedit albedinem absolute, sed paries albus est posterior albedine, sicut semper effectus formalis est posterior suâ causâ formali. Sed negando ant, quia substantia non modò ut sic, sed etiam ut individua præcedit omne accidens, quia illa præcedit ut est eorum subjectum, sed non est eorum primum & ultimum subjectum, nisi ut prima & singularis: Deinde si substantia ut sic est prior accidente, ergò etiam ut hæc substantia, quia differentia addita non destruit naturam generis, vel speciei, ergò si ut substantia est prior accidente, non erit posterior ut hæc est. Nec exemplum allatum est ad rem, quia esse album respectu parietis est profus accidentale, non sic autem est esse individuale respectu Petri, nam albedo non supponit parietem album, sic accidens præsupponit substantiam individuum ut ejus proportionatum subjectum, quia non in substantia universali, sed singulari & particulari fundatur, hinc dicitur prima substantia ex eo quòd cæteris substat.

Opponuntur Autoritates Aristotelis pluribus in locis ubi expressè asserere videtur materiam primam esse principium individuationis, ut 5. Met. 12. ubi ait ea esse unum numero quorum materia una est. Secundò 1. Meteorum 92. Calum ut sic ait esse formam, hoc verò calum esse formam in materia, & deinceps 93. & 94. negat esse plures mundos, quia nequeum multiplicari per materiam cum tota sit in hoc mundo & alibi sapere plura, ubi requirit simpliciter materiam primo

XI.

XII.

XIII.

XIV.

Opponuntur
explicatio
Aristotelis

principio individuationis. R. cum Doctore his & similibus auctoritatibus opponendo, textus à me pro conclusione allegatos, adeoq; Philosophus non intelligendus est in talibus locutionibus quod ibi loquatur de materia Physica, sed de materia Metaphysica: id est, vel de genere, vel de ipsa hæcitate & sic non loquitur præcisè de unitate numerali, sed etiam de aliis quæ verè una dicuntur, similiter per formam non intelligit præcisè formam, sed sumptam pro quidditate totius, ut eam discernat à forma partis, unde dicit Doctor §. ad questionem supra, quòd in primo loco materia sumatur pro differentia individuali comparatione quidditatis, ut est forma totius quia ipsam constituit in ultimo esse subijcibili, & rem constituit in esse materiali, non verò formali. In secundo verò loco dicit per Cælum simpliciter sumptum intelligi ipsam Cæli quidditatem, & naturam velati in abstracto, per hoc verò cælum intelligit eandem naturam veluti in concreto nempe contractam per differentiam individualem. In tertio quidem loco videtur loqui de materia partis, nam probat alium mundum esse non posse, quia putavit hunc mundum (licet falsò) consistere ex tota materia tam actuali quam possibili. Sed Ratione quoq;

Arguitur: Illud est principium individuationis, cui per se primò repugnat communicari pluribus, sed materia signata quantitate est talis, ergò. ma. patet prob. mi. Quia materia signata illa quantitate ita est propria unius, ut non possit esse alterius: ergò. R. distinguendo ma. cui repugnat communicari pluribus ut quid nego ma. ut quo concedo, & sic distincta mi. nego consequentiam.

Instatur; Materia signata nequit concipi ut universalis ut quo, ergò debet concipi singularis ut quo; sed quod est singularis ut quo, est principium individuationis, ergò materia signata erit. R. negando consequentiam, nam Petrus etiam nequit concipi ut universalis, & tamen ipse non est singularis ut quo, sed ut quid, & scietiam Petrus non est principium individuationis, sed individuum per tale principium constitutum.

Urgetur. In omni substantia composita debet assignari aliquod principium individuationis, sed hoc non est forma, ergò debet esse materia, ma. est certa probatur mi. quia forma potest pluribus communicari, ergò est materia. R. dist. ma. debet assignari aliquod principium individuationis à substantia composita distinctum, nego ma. indistinctum concedo ma. & concessa etiam mi. nego consequentiam, Ratio enim ista ad summum tantum probat, quòd materia cum forma debeat esse principium individuationis, non verò quòd substantia composita sit primò hæc per materiam signatam, nam sicut substantia composita distinctam dicit realiter entitatem à forma & materia, saltem sigillatim sumptis, ita quoq; habet suum principium intrinsecum individuationis diversum à principio individuationis materiæ & formæ.

Dico 4. Nec forma sola, nec ipsa cum materia potest esse principium individuationis. Est communis in Schola nostra,

F. Amandi Hermann Logica.

Probatur prima pars. Quia eadem forma potest esse in diversis individuis, sed hoc esset impossibile si ipsa esset principium individuationis ergò.

Probatur secunda pars. Materia & forma sunt principia intrinseca quidditatis & convenientiæ specificæ, suntq; principia essentialia intrinseca, in quibus omnia individua quæ ex ipsis componuntur, conveniunt, ergò non sunt principia individuationis ant. patet: probatur conseq. quia tale principium est extra essentiam rerum, nec est principium convenientiæ inter individua, sed potius omnimodæ distinctionis.

Arguitur. Idèd materia non est principium individuationis, quia est communis omnibus formis & compositis, ergò cum forma sit determinata unius materiæ, non potest enim communicari alteri composito, jam ipsa erit principium tale. R. negando ant. quia nec hæc causa est præcisè, sunt etenim adhuc alia prætereà. R. 2. negando formam esse determinatam ad unam tantum materiam, nam certum est quòd anima verbi gratià mea informet defecto aliquam materiam, quam non informavit ante annos viginti, cum defecto habeam partes quas non habebam illo tempore. R. 3. Concesso quòd forma esset determinata, adhuc tamen non posset statui pro tali principio, quia cum forma hæc sit individua, quero per quid sit individua sicut & de materia.

Instatur; Sola forma actuat materiam, ergò sola forma est principium individuationis, probatur consequentia; Quia individua nihil est aliud, quam actuare, ergò R. dist. ant. sola forma actuat Physicè specificè concedo, individualiter & Metaphysicè nego ant. & consequentiam. Ad probationem dist. ant. individua est actuare quomodo docunq; nego ant. actuare Metaphysicè ultimè concedo ant. & nego consequentiam.

Urgetur; Ab eo res actuatur ultimè Metaphysicè, à quo tribuitur existentia, sed à forma tribuitur existentia ergò. R. 1. negando mi. Quia sicut totum dicit aliam entitatem ab entitate partium, sic etiam dicit aliam existentiam ab existentia partium. R. negando ma. loquendo de ultima actualitate spectante ad prædicamentum, ratio est quia ultima actualitas quæ ad prædicamentum spectat est ipsa individua cui deinde convenit actualis existentia, quæ ad prædicamentum non spectat & supponit rem singularem ut supra dixi.

Dico 5. Neq; accidentia per subiectum, neq; forme substantiales per materiam individuantur. Est D. 4. d. 17. §. hic sunt duæ opiniones. Probatur prima pars. Idem principium individuationis potest simul & semel individua plura individua diversæ speciei & quæ differunt numero inter se, sed hoc esset verum secundum Adversarios, ergò, ma. patet, probatur minor; Quia in eodem subiecto sunt plura accidentia diversæ speciei, verbi gratià in lacte albedo & dulcedo, calor, vel frigus & humiditas, ergò secunda pars patet etiam ex dictis, sed Contra primam dices.

XVII.

XVIII.

Neq; accidentia individuantur per subiectum.

XIX.

Dices, Accidens dependet in esse à substantia, ergò ab illa individuatur, probatur consequentia, à quo res habet esse, habet etiam individuationem, ergò si accidens habet esse à substantia, habet etiam individuationem. R. dist. ant. dependet à substantia intrinsecè nego ant. extrinsecè concedo ant. & nego consequentiam illa autem dependentia extrinseca non arguit principium formale intrinsecum alicujus sicut ex eo, quòd creatura dependeat à Deo quoad suam essentiam non dicitur tamen Deus principium formale intrinsecum individuationis ipsius ergò.

XX.

Principium Individuationis est hæcitas.

Dico 6. *Omnium rerum creatarum individuationis principium est hæcitas, seu singularitas, vel individualitas, aut differentia individualis.* Ita Doctor 2. d. 3. q. 6. & Communis tam Scotistarum quam aliorum extra Scholam Sancti Thomæ, Ita ut Raguseus & Sueslanus dicant hanc fuisse etiam veterum Philosophorum opinionem & sententiam, Avicennæ 5. Met. Plotini, Procli &c. imò Canonicus 5. Met. dicit hanc Scoti doctrinam à Damasceno in sua Logica originem traxisse, ubi expressè concedit quosdam gradus ultimos sub natura specifica tanquam ultimò determinativos & contrarios illius, Est etiam ex mente Sancti Augustini: qui teste Nebridio lib. 2. Log. cap. 8. ait Sanctum Patrem toties quoties facit de individuo mentionem, ipsumq; in Categoriis definit, vix alia exempla adducere, quam *hunc hominem, hunc equum, hanc arbores, hanc grammaticam, hunc colorem album, hanc disciplinam &c.*

XXI.

Probatur Conclusio etiam ratione primò. Illud est principium individuationis, per quod individua intrinsecè distinguuntur, sed individua non nisi per differentias individuales intrinsecè distinguuntur, ergò differentia individualis est principium individuationis, seu hæcitas, patet major, quia idem est alicujus rei principium distinctivum, quod est constitutivum, probatur mi. Quia non distinguuntur per entitatem naturæ, ergò, probatur ant. quia entitas naturæ non est principium distinguendi, sed est principium conveniendi in pluribus.

Probatur secundò: Unitas semper sequitur entitatem, ergò unitas numeralis debet habere aliquam entitatem, ad quam sequatur, sed non sequitur ad entitatem naturæ formalitèr, nec aliud potest assignari præter aliud quod realitèr identificatum ipsi naturæ & ab ea formalitèr distinctum, quod est hæcitas, ergò.

Confirmatur primò. Quia illud est principium individuationis, quod naturam ultimèr determinat & ponit in gradu ultimo indeterminabili & incommunicabili, sed hoc facit solùm differentia individualis ergò.

Confirmatur secundò. Quia assignando hujusmodi principium individuationis uniformitèr potest quis philosophari in omnibus rebus tam materialibus & spiritualibus, totalibus & partialibus, quod tamen non potest fieri in sententia Thomistarum, qui pro qualibet materia particulare debent princi-

pium querere, vel nullum statuere possunt ut patet ex dictis, ergò. Sed in contra

Arguitur Cum Hernea prout ipsum refert Maffrius. Illa hæcitas, aut est aliquid diversum à materia & forma signatis, aut non? si hoc secundum, jam Scotus est cum Thomistis, si primum, aut erit substantia, aut accidens, aut nihil; si nihil, pro nihilo reputetur, si substantia, aut materia, aut forma, aut compositum, non materia, aut forma ut supra dictum est, si compositum, ergò erit id se ipso individuum, quod Scotus non admittit; si accidens, aut est respectivum, aut absolutum, nõ respectivum, quia est posterius omni absoluto, si absolutum, hoc potissimum erit quantitas, quod etiam refutatum est, ergò Sententia Scoti aut nulla est, aut coincidit cum refutatis. R. breviter ad hoc argumentum pompofum quod in altis graditur & nihil habet præter verborum strepitum & inanem applausum, concedendo esse aliquid à materia & forma signatis distinctum, & quando queritur an sit substantia, vel accidens, tunc dico quòd in entibus substantialibus sit substantia, in accidentalibus accidens, non formalitèr, sed identicè propter realem identitatem cum substantia vel accidente.

Instatur. Hinc sequeretur quòd in uno eodemq; composito tot sunt futura principia individuationis quot in illo quandoq; inveniuntur accidentia, sed hoc est omnino absurdum ergò: sequela patet probatur minor, quia una eademq; res non potest individuari pluribus principiis. R. dist. sequela ma. Darentur in uno eodemq; composito plura principia individuationis partialia, concedo sequela, totalia nego sequela, unde in tali casu est tantum unicum principium totale & sunt plura partialia, sed hoc est inconveniens asserere, vel admittere.

Urgetur. In composito Metaphysico non possunt admitti plura principia individuationis partialia, ergò nec in composito Physico, patet ant. consequentia sequitur à paritate rationis. R. negando consequentiam & paritatem, disparitas est; Quia entitates Metaphysicæ non sunt res potentes per se existere, Physicæ autem sunt ut de se patet, Metaphysicæ, ergò existentia totius, Physicæ sunt etiam realitèr distinctæ, non verò Metaphysicæ, idèd his denegatur propria individualitas quamvis non illis. Attamen Cum Bannes Et est argumentis Maffrio fortissimum.

Arguitur 2. Natura quæcunq; non potest fieri individua per aliquod quod est commune & ratio conveniendi cum pluribus, sed differentia individualis, seu hæcitas Petri & hæcitas Pauli conveniunt in ratione communi hæcitatatis, ut dixi ipse supra, ergò hæcitas non potest esse principium individuationis, major est ex mente Scoti quia enim idèd potiori ex ratione alia fuere sententiæ refutata, probatur minor, quia istæ sunt veræ propositiones & enuntiationes, hæcitas Petri est hæcitas, hæcitas Pauli est hæcitas, ergò hæcitas de se est quid commune, ergò consequenter hæcitas non potest esse principium individuationis.

XXII.
Argumentum in contrarium primum.

XXIII.
Argumentum secundum.

duationis. R. ad hoc argumentum quod & alios aeq̄ bene urget, distinguendo ma. Natura non potest fieri individua per aliquod commune quod est a parte rei tale sine ulla intellectu operatione, quodq; veram realitatem importat concedo ma. quod tantum est commune per conceptum & intellectionem quoad modum nego ma. & similiter distinguo minorem & nego consequentiam, unde quando Scotus dicit quod natura non possit fieri individua per aliquod commune, loquitur de eo quod est de se commune, seu quod non est de se & a parte rei hoc, non verò quod est tale per intellectum.

XXIV. Instatur. Ex reali convenientia Petri & Pauli in natura humana arguitur communitas realis talis naturae, sed Petreitas & Pauleitas ita conveniunt in natura haecceitatis, sicut Petrus & Paulus in natura humana, ergo ita communis erit haecceitas Petreitati & Pauleitati sicut humanitas Petro & Paulo. R. negando mi. Quia convenientia & similitudo Petri & Pauli in natura humana ejusq; operationibus est realis actualis & a parte rei, & ideo requirit fundamentum reale actuale & a parte rei scilicet realem unitatem & communitatem naturae in ambobus per indifferentiam, similitudo verò & convenientia Petreitatis & Pauleitatis in natura haecceitatis ut sic non est realis & actualis, sed tantum virtualis & fundamentalis, unde a parte rei illae duae haecceitates sunt omnino alterius rationis & ab invicem primò diverſae.

Urgeatur. In praedicatis communibus quidditativis ad haecceitatem spectantibus ita conveniunt Petreitas & Pauleitas, sicut Petrus & Paulus in praedicatis ad humanitatem spectantibus, ergo vel utrobique erit realis, vel utrobique virtualis propter omnimodam rationem, R. cum Doctore 2. d. 3. q. 6. s. ad Quaestionem, negando ant. & consequentiam. Quia nunquam est tanta convenientia in constituentibus sicut in constitutis, & omnis differentia differentium debet esse & reduci ad aliqua primò diverſa, id est in nullo a parte rei quidditative convenientia, ne detur processus in infinitum ut docet Aristoteles 7. Met. cap. de eodem, ista verò primò diverſa ad quae tandem opus est pervenire in linea praedicamentali sunt ultimae differentiae individuales, & ideo convenientia eorum in ratione haecceitatis communit nequit poni formalis & actualis, sed tantum fundamentalis & virtualis.

QUAESTIO VIII.

An omnia individua ejusdem speciei sint aequalis perfectionis?

Quaestio haec originem suam habuit ab animabus rationalibus de quibus Auctores in animalisticis quaerere solent an omnes sint in perfectione individuali aequales, vel inaequales, supposito quod sint ejusdem speciei? quia tamen haec difficultas communis ad individua cumqueque speciei etiam in animata ita eam universaliter de omnibus expediam, nam quemadmodum propter perfectiores & imperfectiores animarum operationes quaeritur an una altera

fit perfectior, sic pariter queri potest de aliis, quia videmus quod unus ignis alio urat fortius, equus unus alio sit generosior, una caro altera sapidior &c. & sic de caeteris. Notandum verò sensum quaestionis esse non de aequalitate, vel inaequalitate in perfectione accidentali, & extrinseca, nec etiam extensiva, aut intensiva eorum, quia sic res est indubitata quod unum individuum alio sit perfectius quia habet perfectiora accidentia, sic unus alio est melioris complexionis, pulchrioris formae, subtilioris ingenii, velocioris memoriae quam alter, sic etiam una quantitas alia est longior, calor ut quatuor intensior calore ut duo, sed est quaestio de perfectione essentiali & quidditativa. Circa quam materiam duplex est sententia extrema, Prima asserit quod differentiae individuales non modo adferant distinctionem individuum, sed etiam inaequalitatem in perfectione individuali, ita ut ratione individualis differentiae non solum hoc individuum non sit illud, sed etiam perfectius illo in esse entitativo. Ita videntur sentire Magister D. Bonav. Aegidius, S. Thomas, Cajetanus, Bannes, Ferrarientis, Ruvius &c. Secunda è diametro opposita dicit differentias individuales non adferre perfectionem aliquam entitativam essentialem majorem, vel minorem individuis, sed ipsius praesertim munus esse determinare, hoc esse hoc, & illud esse illud. Ita Henricus Durandus, Soncinus, Scotus, Toletus & Scotus cum suis omnibus cum quibus etiam ad quaestionem.

Explicatur sensus quaestionis.

Dico. Non datur inaequalitas perfectionis intrinseca & quidditativa inter individua ejusdem speciei. Haec est conformis ad secundam sententiam.

II. Individua ejusdem speciei non sunt in perfectione essentiali inaequalia.

Probatum primò. Autoritate nostrorum Philosophorum Augustini libro 83. quaest. 40. ubi dicit: Non ob hoc putandum est diversas esse naturas animarum, quia diversae sunt voluntates, cum etiam unius animae voluntas pro temporum diversitate varietur, siquidem uno tempore dives esse cupit, alio tempore contemptus divitis sapiens esse desiderat, & in ipso temporali appetitu uni homini negotiatio & alio tempore militaria placet. Item lib. 8. Civit. cap. 6. Serm. 8. verb. Apost. cap. 2. Non enim alterius naturae caro nostra & caro Christi, nec etiam alterius naturae anima nostra & anima illius & lib. de perseverantia cap. 9. Nonne utriusque à Deo creati unus ejusdemque naturae animas acceperant? D. Bernardi in cant. cant. Serm. 8. ubi sic habet: Quia sic in eo singularem miratur gratiam ut tamen communem confituit naturam, beatamque illam Christi animam esse cum reliquis ejusdem quidem generis, sed differentiù excellentius; virtutis, ubi licet dicat esse generis ejusdem, intelligendus est ut idem sit ejusdem speciei quod non modò Patribus, sed etiam Juris Consultis valde familiare est, qui quod à Philosophis species appellatur, à Juristis genus dicitur, & quod Philosophi in individuo determinant illi in specie ponunt, imò, dum dixit supra naturam communem utiq; sufficienter expraesit speciem, quia nulla natura communis completa est praeter speciem. Doctores nostri subtilis quodlibet 5. in fine & quodlib. 19. art. 2. infra litt. R. ubi sic ait: Proprie perfectio non videtur convenire nisi



entitati quidditative, quia entitas hypostatica non est secundum quam aliquid perficitur, sed secundum quam aliquid recipit perfectionem, vel saltem determinatur ad perfectionem receptam: & tandem accedit auctoritas Aristotelis. 3. Met. I I. ubi ait, in individuo non dari primum & posterius, hoc est magis, minusve perfectum bene tamen in genere, seu quod genus sit contrahibile per differentias inæqualis perfectionis, non verò species.

III.

Probatur Conclusio secundò.

Ratione primò, quæ desumpta est ex D. Augustini auctoritate prima. Quia si aliqua inæqualitas perfectionis in differentia individuali provenire posset, maximè hoc idè esset, quia videmus verbi gratià in animabus rationalibus perfectiores esse operationes in uno supposito, quàm in alio: quæ diversæ operationes arguunt majorem & minorem perfectionem, sed hæc ratio non est sufficiens fundamentum asserendi ex differentia individuali provenire majorem & minorem perfectionem, ergò: patet major: quia est eadem ratio de animabus, ac de aliis individuis cujuscunq; speciei: probatur mi. Quia omnis excessus perfectionis in operando reperiuntur in diversis suppositis, reperitur etiam in eodem homine quoad diversa tempora, ergò ille excessus non est sufficiens signum &c. probatur ant. Quia maxima est variatio in homine dum est puer, juvenis, vel senex ante & post graves infirmitates, sed hæc mutatio non provenit ab eo quod anima ipsa substantialitèr varietur, aut perfectior, vel imperfectior fiat, sed tantum ex varia corporis temperie, quæ modò magis, modò minus organa purgat & disposita reddit, ergò malè ex diversâ & varia operatione colligitur diversitas perfectionis essentialis. Probatur secundò. Quia differentia individualis munus aliud non est, quàm facere naturam hanc & determinatam individualitèr, sed totum hoc munus habetur inter individua absq; ullo excessu perfectionis, ergò talis excessus penes differentias individuales attendi nequit, quia tota virtus hæcicitatis exhauritur in hoc, quòd faciat hoc individuum non esse illud, non autem quòd faciat hoc individuum perfectius alio. Tertio. Aliqua individua ejusdem speciei infimæ sunt æqualis perfectionis, sed eadem est ratio de aliis omnibus, ergò: ma-

patet quia si individuatur aqua in duas partes, illæ duæ partes erunt duo individua, & tamen ridiculum esset dicere, quòd essent inæqualis perfectionis: probatur minor: Quia idè aliqua individua essent inæqualis perfectionis, quia habent diversas hæcicitates: sed omnia individua habent diversas hæcicitates, ergò omnia individua essent inæqualis perfectionis, quòd falsum esse patet. Probatur quartò. Quia singularitates non addunt supra naturam specificam nisi, vel negationem communicabilitatis, ut aliqui volunt, vel formalitatem positivam ad quam sequitur talis negatio ut tenui ego, sed quodcunq; ex his dicatur, non potest una hæcicitas majorem perfectionem tribuere naturæ specificæ, quàm altera, ergò individuum unum non potest esse perfectius altero: probatur minor, quia quodlibet individuum est tam perfectè in communicabile quàm quodcunq; aliud, ergò habet negationem communicabilitatis tam perfectam & principium individuationis, quàm quodcunq; aliud, ergò à tali principio non habebit natura majorem perfectionem. Sed

IV. Opponitur Contra Conclusionem

tum Auctoritas sacræ Scripturæ, Sapientiæ 8. ubi Salomon Deo gratias refert, quòd animam bonam fortitus sit in comparatione ad alios homines, tum Aristotelis 2. de generat. animal. cap. 3. ubi ait: sicut anima est perfecta magis, vel minus, ita corpus preparat, ergò. R. tamen has auctoritates nihil facere contra Conclusionem, quia Salomon gratias Deo refert, quòd accepit animam meliorem, non quidem substantialitèr, sed accidentalitèr ratione dispositionis corporalis, & donorum gratiò superadditorum gratiæ & naturæ; quo sensu etiam dixit D. Bernardus supra, animam Christi esse perfectiorem aliis animabus; imò etiam angelicis Spiritibus, quibus tamen dicitur minoratus, & secundum substantiam ex communi doctrina anima rationalis secundum se est imperfectior angelo, unde quando dicitur etiam, quòd alioquin anima Christi non esset perfectior anima Judæ, id verum est secundum naturam præcisè & non secundum gratiam. Ad Aristotelem dico eum loqui de animabus diversarum specierum, non verò de ejusdem speciei.



DISPUTATIO IV.

DE DIFFERENTIA, TERTIO PRÆDICABILI.

Hactenus egi de Predicabilibus, quæ prædicantur in quid, nunc restat agendum de illis, quæ prædicantur in quale; inter quæ primò occurrit differentia propriè dicta, quæ non modò prædicatur in quale simpliciter, sed in quale quid, in qua disputatio multa Metaphysica admisceri solent, de quibus si quid egero, breviter perstringam illas, unde ad ipsa Logicalia explicanda moro manus, sit igitur

QUÆSTIO I.

Quid sit Differentia?

Ante Resolutionem. Notandum

primò: Ex Doctore 1. d. 3. q. 3. §. Ad quæ-

I. Non est idem differens & diversum.

stionem. Non esse idem differens & diversum, quia illa dicuntur differentia, quæ prius in aliquo communi conveniunt; deinde per aliquod illi communi superadditum differunt, illa verò dicuntur diversa, quæ non per aliquod superadditum,

ditum, sed seipsis & se totis fecerunt: quam doctrinam dicit Doctor esse Aristotelis 10. Met. 17. unde etiam hic Porphyrius non agit de differentia, quae est diversitas, sed de differentia, quae est eorum, quae in aliquo communi conveniebant.

Notandum secundò. Porphyrium

differentiae quintuplicem assignasse definitionem. Prima est quod differentia sit id, quo species exceditur genu. Secunda est, Differentia est, quae praedicatur de pluribus differentibus specie in quale quid. Tertia. Differentia est ea, quae dividit ea, quae sub eodem genere collocantur. Quarta Differentia est, quae differunt à se singula. Quinta, quam Porphyrius ipse ceteris praefert est, quae sic rem distinguit ab aliis, ut sit etiam pars constitutiva ejus. Quae definitiones omnes si exactè & in se considerantur excepta secundà explicant differentiam primò intentionaliter sumptam, de qua tamen pro nunc nullam habere volo questionem, nec examinare, an bonae sint, vel malae, cum non videatur dubium, quòd secundum diversum & multiplicem respectum diversimodè & multipliciter differentia possit definiiri; Quod hic contrahitur tantum, est, an definitio differentiae secundae, quae est intentionaliter sumpta sit bona & adaequata.

Prima Sententia dicit eam definitionem esse bonam differentiae, prout abstractit tam ab infima, quam à subalterna: ita Albertus M. tract. 7. cap. 6. & plures hic Scotistae, pro qua citatur Toletus, quos sequitur Joannes à S. Thoma; praecipuum eorum fundamentum est auctoritas Porphyrii, quae in hoc passu non videtur tam facile contemenda.

Secunda Sententia pariter est affirmativa & dicit, dum dicitur de pluribus specie differentibus, sensum esse, differentiam praedicari de pluribus differentibus specie ab aliis, non verò inter se, & sic rationale praedicatur de Paulo & Petro tanquam de pluribus differentibus specie à Bucccephalo, ita aliqui antiqui.

Tertia Sententia est communissima, quam docet Scotus q. 27. univ. D. Thomas. de Demonst. cap. 14. Complureses, Aversa, Arriaga Disp. 8. Log. Pontius q. 11. de Differentia, Maffrius, Mauritiu, Baro & plures alii, qui docent illam definitionem esse bonam respectu differentiae subalternae tantum: Sed cum Sententia prima

Dico I. Probabile est praedictam definitionem posse sic explicari, ut competat differentiae tam subalternae, quam infimae.

Probatur Conclusio factis pauper & inops. Quia sicut habet probabiles translationes & versiones, Porphyrius dixit differentiam, quae praedicatur de pluribus Et specie differentibus in quale quid, sed si benè perpendatur & ponderetur particula Et illa significat frequentè tam etiam, quam etiam si, ergò hoc supposito definitio data esset bona: probatur consequentia, quia tunc sensus definitionis erit, quòd differentia sit illa, quae praedicatur de pluribus in quale quid, etiam, vel etiam si specie differentibus, ergò definitio data erit bona.

Quò supposito sic probatur aliter, Quidquid praedicatur de pluribus specie differentibus, praedicatur etiam de pluribus numero differentibus à fortiiori, ergò sufficiebat Porphyrio addidisse in definitione illud, quod majus erat, quia illud quod minus est supponebat tanquam necessariae consequentiae.

Confirmatur Per hoc quòd definitur genus per hoc, quòd praedicatur de pluribus specie differentibus, non excludit, quòd non possit etiam praedicari de pluribus numero differentibus, ergò per hoc, quòd definitur differentiam esse illam quae praedicatur de pluribus & specie differentibus, non excludit quin possit etiam praedicari de pluribus numero differentibus

Dices. Genus praedicari de pluribus numero differentibus mediare tantum, non verò immediatè sicut debet praedicari differentia, ergò hæc ratio nihil probat. R. negando consequentiam; Quia genus idèò mediare praedicatur de individuis, quia de illis praedicatur veluti de suis mediatis inferioribus, per quae non constituitur in esse universalis, differentia verò non constituitur in esse universalis, differentia verò non constituitur in esse universalis per ordinem ad sua inferiora, idèò potest congruè subintelligi per ly & specie differentibus, quòd licet possit praedicari de pluribus numero differentibus, etiam possit praedicari de pluribus specie differentibus.

Dices. Adhuc cum Pontio Porphyrium voluisse definire differentiam subalternam, adeoq; contra mentem ipsius applicatur etiam differentiae infimae. Sed Contra Porphyrio ex scopo proposito incumbere non modò definire differentiam subalternam, sed etiam infimam, ergò quandoq; unicum tantum tradidit definitionem, signum est quòd unam tam benè voluerit definire, ac alteram: alioquin dici posset quòd suo muneri non satisfacisset, quare potius dicendum est ipsum voluisse definire differentiam tertium praedicabile, quemadmodum fecit in omnibus aliis universalibus definiendis, quòd satis ex eo colligitur, quòd statim subiecerit exemplum differentiae à se definitae, in subalterna & infima, verbi gratia in ly mortale & rationale, respectu hominis; quia ly mortale est differentia subalterna communis homini & bruto, ly rationale verò differentia infima, in quantum scilicet est constitutiva speciei infimae, non verò in quantum est communis Deo, angelis & homini.

Arguitur Cum Pontio directè contra Conclusionem. Qui definiret animal sic, animal est vivens, sensitivum, etiam si illud vivens sensitivum sit rationale, malè definiret quia ultima particula est planè superflua, vel certè non deberet potius addi, etiam si sensitivum sit irrationale: ergò à pari, malè definitur differentia dicendo quòd sic id, quòd praedicatur de pluribus, etiam si illa plura sint specie differentia, vel deberet semper etiam addi, etiam si illa plura differant numero. R. concedendo ant. & negando consequentiam ejusq; suppositum; supponit enim Pontius definitionem Porphyrii esse

III.

IV.

V.

Argumentum in contrarium.

IV. penitus oblitus

II. explicari

esse unam simplicem, & debere per consequens convenire secundum omnes suas partes differentie tam infimæ, quam subalternæ, sed malè supponit, quia non est una simplex, sed composita secundum unam partem conveniens differentie subalternæ, secundum alteram infimæ, quod demonstratur ex ly *Et* quia si esset solius differentie subalternæ, superflueret ly *Et*.

Instatur. Ex illa particula nihili deduci potest, quia si posita est, est posita tantum ornatus gratiâ, quia Porphyrius non affectavit ut simul definiretur differentia infima. Sed R. negando ant. cum Ratione priori (ad posteriorem dixi jam supra) Quia tò *Et* non est positum ornatus gratiâ, sed pro copula duarum definitionum, unde cum prædicabilitas de pluribus solo numero inter omnes prædicabiles sit minus universalis, ly *Et* denotat differentiam de qua hic, non extendere se tantum ad prædicari de pluribus solo numero, sed etiam specie differentibus, hinc est quòd particula illa faciat definitionem copulativam, & hunc sensum; Differentia est quæ prædicatur de pluribus solo numero differentibus, scilicet infima: & differentia prædicatur de pluribus etiam specie differentibus, id est subalternæ: sicut si quis definiret animal in suis speciebus, & diceret animal est vivens sensitivum rationale, ut homo; & animal est vivens sensitivum irrationale, ut brutum; & sic illas definitiones binas Porphyrius brevitate causâ expressit per modum unius, sicut etiam sæpè fecit ipse Aristoteles, ut patet in definitione animæ & alibi frequentèr.

Urgetur. Ex autoritate Scoti dicentis supra hic tantum definiri differentiam subalternam, ergò inaniter expressè contra mentem Doctoris & Porphyrii detorquetur illa definitio ad differentiam infimam. Verùm tamen R. Scotum loqui in communi sententia, & ex modo quo recitatur textus Porphyrii, videlicet sine ly *Et*, quæ particula tum apud Doctorem, tum apud alios omisa est. Unde

VI.
Descriptio
illa convenit
tantum dif-
ferentia sub-
alternæ.

Dico 2. Differentie definitio à Porphyrio tradita prout vulgò circumfertur his terminis quòd sit illa quæ prædicatur de pluribus specie differentibus in quale quid, bona est: sed solius differentie subalternæ: hæc est communissima cum tertia sententia, & quoad primam partem patet, quia constat genere & differentia conformiter addicta de aliis universalibus; & Probatur secunda pars: Quia non competit differentie ut sic, ergò soli differentie subalternæ, probatur ant. quia alioquin convenit etiam aliis inferioribus, sed non convenit, ergò: probatur mi. quia non convenit differentie infimæ, ergò: probatur ant. quia tantum differentia infima prædicatur de pluribus numero differentibus, ergo. Porphyrium secutus videtur esse D. Augustinus qui differentiam definiens hanc tradidit cap. 7. cat. dicens: Differentia verò est quæ secundum multa & differentia non quid sit, sed quale sit specie prædicatur, ut est animal gressivum, volatile, aquaticum, bipes, quadrupes &c. quæ definitio exactissimè explicat differentiam subalternam, & hanc etiam solum intendisse Sanctum Doctorem definire, patet, tum ex exemplis appositis, tum quia alibi sæpè co-

gnoscit & admittit differentias ultimas; nam Sermone 27. de verbis Apost. cap. 2. cum definiisset hominem quod sit *Animal rationis capax*; addit, *verum melius & citius dicam, animal rationale*, adeoq; constat eum etiam admisisse differentias ultimas, unde si quis Sancti Patris definitionem amplecti vellet loco illius particule *Specie* ponat particulam *essentialiter*, & sic conveniet omnibus differentiis.

Dico 3. Differentia ut sic prout præscindit à differentia subalternæ & infimæ, bene definitur. Quòd sit illa quæ prædicatur de pluribus in quale quid. Hæc est communis in Scholis & Probatur quia constat genere & differentia, nam prædicari de pluribus rationem generis habent, reliquæ verò particule rationem differentie, subintellige quasi primò intentionalitèr sumptæ & in actu exercito, ergò: ant. quoad priorem partem patet, declaratur quoad posteriorem, quia per particulam in quale differt à duobus prioribus prædicabilibus, quæ nullo modo prædicantur in quale, sed simpliciter & purè in quid: per particulam in quid, verò differt à duobus posterioribus, quæ nullo modo prædicantur in quid, sed tantummodò in quale.

Dices I. Si per prædicari de pluribus in quale quid bene definitur differentia in communi prout præscindit ab infima & subalternæ, id est abstrahendo à prædicari de pluribus specie & numero differentibus, sequeretur etiam quòd genus & species unica definitione poterunt definiri, sed hoc implicat, ergò: probatur sequela, quia genus prædicatur etiam de pluribus specie differentibus veluti differentia subalternæ, & species de pluribus numero differentibus, veluti species, ergò. R. negando sequelam majoris, quia ut dicit Scotus q. 27. univ. Quia genus & species non solum differunt per hoc quòd est prædicari de pluribus specie differentibus & pluribus numero differentibus, sed etiam per hoc, quia genus prædicatur tantum ut pars & incompletè, species verò completè & ut totum, non sic autem se habent differentia infima & subalternæ, quia utraq; dicit partem formalem, unde dicit Doctor ibidem *differentia autem in communi est sufficiens definitio prædicari de pluribus in quale*, subintellige quòd antea jam dixerat *essentiale*.

Dices 2. Nihil potest prædicari in quale quid, ergò saltem quoad hoc definitio non erit bona: probatur ant. Quia prædicari in quid est prædicari essentialitèr, prædicari verò in quale, est prædicari non essentialitèr: sed idem nõ potest prædicari essentialitèr & non essentialitèr, ergò. R. dist. ant. in quid secundum rem &, in quale, secundum modum nego ant. in quid secundum rem, & in quale secundum rem concedo ant. & dist. similiter majori, & minori probationis negatur utraq; consequentia; Itaq; differentia prædicatur in quid secundum rem quatenus est pars essentialis speciei, in quale verò, seu quoad modum prædicatur, quia se habet per modum adjacentis, seu adjacentis alteri.

QUÆ.

QUAESTIO II.

In Ordine ad quid constituitur differentia in esse universalis?

Ex multiplicibus definitionibus su-

pra datis patet differentiam etiam secundum intentionalem sumptam multiplicem dicere respectum ad alia, nam dicitur ordinem ad genus quod determinat ac dividit, verbi gratia rationale dicitur ordinem ad animal quod contrahit; item dicitur ordinem ad speciem, verbi gratia idem rationale ad hominem, quem cum animalitate constituit; denique dicitur ordinem ad inferiora speciei, verbi gratia ad Petrum & Paulum, unde tres ordinariè differentia dicitur respectus ad genus nempe ad speciem & ad speciem inferiora, unde quaeritur in praesenti quaestione, per quem nam respectum ex his tribus differentia constituitur in esse universalis, seu tertii praedicabilis? Circa quam materiam triplex est sententia;

Prima est Cajetani, Toleti, Scoti, &c. qui dicunt quod differentia in esse universalis, seu tertii praedicabilis constituitur per ordinem ad speciem.

Secunda Sententia asserit quod constituitur in esse universalis per ordinem ad propria inferiora, non verò in ordine ad inferiora speciei, hoc est, quod differentia, verbi gratia rationale constituitur in esse universalis prout dicitur ordinem ad hoc & illud rationale, non verò prout dicitur ordinem ad inferiora speciei verbi gratia Petrum & Paulum: hanc sententiam ex Suarez referunt absque authoribus Complutensibus.

Tertia est communis: dicens, differentiam constitui in esse tertii universalis per ordinem ad inferiora speciei: quam etiam inferius amplectitur. Interim

Dico I. Differentia in esse tertii universalis

non constituitur per ordinem ad speciem. Est Contra primam Sent. & Probatur: Universale respectu quorum, seu in ordine ad quae constituitur in esse universalis, debet respectu eorum esse superior, sed differentia respectu speciei non est superior, ergo respectu illius non erit & non constituetur in esse universalis, major patet ex ratione universalis ut sic: quia universale est illud, quod dicitur ordinem ad plura quae sub eo continentur, probatur minor, quia differentia aequè late patet sicut species & e contra, ergo, probatur ante. Quia omnis homo est rationalis & omne rationale (loquor de rationali quod est constitutum speciei specialissimae, scilicet humanae) est homo, ergo aequè late patent, consequentia probatur, quia quae se per modum superioris & inferioris habent, non convertuntur in subsistendi consequentia, prout hic contingit.

Dices. Speciem habere virtutem pluralitatem, quatenus continet sub se inferiora, ideoque praedicationem de specie aequivalere pluribus praedicationibus de individuis, si species est ultima. Contra, Quia universale ut sic ut sit & fiat universale, debet habere formalitatem

F. Amandi Hermann Logica.

plura, vel actu, vel potentia, juxta supra dicta, Alioquin si sufficeret ad universale ut virtualiter tantum habeat plura, dici potest, quod differentia respectu ejus sit etiam tantum virtualiter universalis, non autem formaliter & actualiter: quia qualis est multitudo, talis est universalitas ipsam multitudinem respiciens, ergo si multitudo sit tantum virtualis, universale quoque erit tantum virtuale, quod tamen admittendum non est, cum differentia sit unum ex quinque; formalibus universalibus, & praedicabilibus in communi sententia, ita ut etiam dubitetur an non duplex universale fundare possit veluti genus, & species duo constituunt praedicabilia.

Dico 2. Differentia non constituitur in esse

tertii universalis in ordine ad sua inferiora. Hae est contra secundam sententiam. Probatur. Differentia in quantum est unum ex quinque; universalibus debet praedicari de suis inferioribus in quale quid incompletè, sed differentia respectu hujus & illius differentiae sub se contentae non praedicatur in quale quid incompletè, ergo respectu hujus & illius non poterit esse unum ex quinque; universalibus distinctum ab aliis quatuor; major est omnium, minor, de qua sola est difficultas probatur: Rationale verbi gratia respectu hujus & illius rationalis non praedicatur in quale, quia non potest quis respondere interroganti quale est rationale per quale, sed bene per quid, nam si quaerat à me aliquis, quale est rationale? non possum dicere, est rationale, sed si à me quaerat, quid est rationale? possum dicere, est rationale, per quod ulterius patet, quod nec incompletè etiam praedicetur, quia haec est completissima praedicatio rationale est rationale, & est etiam in quid, siquidem praedicatum dicit totam essentiam subjecti? Unde praedicatio quae praedicatur differentia de suis inferioribus propriis, est praedicatio universalis secundi, seu speciei: quia modum secundi universalis quoad praedicationem servat: ut patet.

Dico 3. Differentia constituitur in ratione

universalis tertii per ordinem ad inferiora speciei, quam constituit. Hae est communissima, & Probatur: Differentia constituitur in esse universalis per ordinem ad plura de quibus praedicari potest in quale quid, sed ad nulla alia plura dicitur ordinem de quibus praedicari possit in quale quid, nisi per ordinem ad inferiora speciei, ergo per ordinem hunc constituetur in esse universalis, major patet, minor probatur: quia non dicit talem ordinem ad genus, nec ad speciem, nec etiam ad propria sua inferiora, ut patet ex dictis: ergo restat quod constituitur in esse universalis ad inferiora speciei, siquidem ad illa dicit respectum & praedicatur de illis in quale quid, nam si à me quaeratur qualis sit Petrus? bene respondeo, quod sit universalis. Sed in

Contra Arguitur? Differentia praedicatur de

specie, sed non ut singulare, ergo ut universale, ergo per ordinem ad speciem constituetur in esse universalis, probatur ma. quia vera est praedicatio, homo est rationalis. R. concessa ma. & min. distinguendo consequens, ergo ut universale formaliter sumptum nego consequentiam,

IV.

Nec per ordinem ad sua inferiora.

V.

Sed per ordinem ad inferiora speciei.

VI.

I. habet

II. tribuit

III.

II. potentia

X.

III.

tiam, materialiter sumptum, concedo consequentiam. Itaque sicut species si comparatur ad genus prædicatur ut universale, non formaliter: quia tale constituitur per respectum ad plura, sed fundamentaliter & materialiter; sic prædicatio ista homo est rationalis est quidem bona prædicatio, sed prædicatio topici de subiecto communi, cum quo recipitur, & tales prædicationes à quibusdam vocantur tertii, vel quarti prædicati.

Inflatur. Ut aliquid prædicetur ut universale formaliter, debet prædicari de pluribus immediate, sed differentia de specie tantum & non de inferioribus speciei prædicatur immediate, ergo per ordinem ad speciem & non per ordinem ad inferiora speciei, differentia fundabit universale tertium, probatur minor; Quia ideo Petrus dicitur rationalis, quia homo inclusus est rationalis, ergo. R. negando ma. Quia non est necessarium quod universale prædicetur immediate de suis inferioribus, quia etiam genus respectu inferiorum, retinet universalitatem, & tamen de individuis non prædicatur immediate; Unde advertendum non quancumque prædicationem constituere rationem universalitatis tantum, sed illam tantum, quæ est de suis inferioribus; unde quamvis Petrus & Paulus sint rationales, quia sunt homines, tamen rationale non est universale, quia respicit speciem videlicet hominem, quia rationale respectu hominis non est superius, seu magis late patens, sed quia respicit Petrum & Paulum.

QUÆSTIO III.

Quotuplex sit Differentia, & an illa quæ communiter assignatur sit adæquata?

I.
Differentia
triplex est.

Hic examinabo divisionem realem, & non intentionalem differentiarum, quia sine omni opere intellectus reperiuntur plures formalitates, per quas res differre dicuntur; Itaque differentia realis communiter circumfertur trimembris, scilicet *communis, propria, & propriissima*; nam cum differentia secundum Porphyrium sit illa formalitas, quæ facit unum ab alio differre, & id contingat tripliciter: nempe essentialiter, accidentaliter inseparabiliter, & accidentaliter separabiliter: totuplex erit etiam differentia: hinc *communis est accidens separabiliter faciens differre*, quæ differentia quintum prædicabile constituit, de qua etiam agam disputatione ultima agendo de Accidente. *Differentia propria est accidens inseparabile, quæ una res differre ab alia non quidem per modum essentia, nec per modum accidentis, sed per modum proprietatis*, & hanc differentiam explicabo disputatione sequenti. Differentia denique propriissima est, quæ facit rem essentialiter differre ab alia: talis est rationalitas, quæ duplex est, infima scilicet & subalterna, de quibus in hac disputatione egi; Hinc in hac questione quaeretur in primis, an differentiarum divisio trimembris supra enumerata sit adæquata, & univoca? quantum ad primum R. &

II.
Illa divisio
est bona.

Dico I. *Divisio differentiarum in communem, propriam, & propriissimam est adæquata.* Ita Pontius, Maltrius & communior, Prob. Illa est bona divisio cuius membra dividenda nec excedunt divisum, nec e contra divisum excedit

membra dividenda, sed hæc est talis, ergo: quia membra dividenda continentur sub divisio, & divisum non continet aliud quam membra dividenda, ergo: probatur ant. quod divisum non contineat aliud quam illa membra dividenda; Quia nulla res potest ab alia differre nisi mediante aliqua re separabili, vel mediante aliqua re inseparabili, si mediante re separabili, tunc ipsius differentia est communis, si mediante re inseparabili, tunc, vel mediante aliqua re quæ est de essentia ipsius, & sic est differentia propriissima, vel mediante aliqua re quæ non est de essentia ipsius, & sic differentia ejus erit propria, ergo nihil aliud continetur sub divisio, adeoque divisio erit adæquata, quia non potest dari aliqua differentia alicujus, quæ non sit, vel communis, aut propria, vel propriissima &c. Sed Incontra.

Arguitur; Differentia individualis, seu hæcitas ad nullam differentiam ex tribus assignatis reducit, ergo divisio non est adæquata, ant. probatur, quia non reducit ad communem, quia non est separabilis ab individuo, nec reducit ad propriam, cum non conveniat accidentaliter ipsi, nec ad propriissimam, cum non faciat differre essentialiter, ergo divisio non est adæquata. R. I. differentiam individualem posse reduci ad differentiam propriam, & facere differre accidentaliter, non accidentalitate prædicamentali, quia est gradus substantialis penetrans per realem identitatem totam substantiam ac essentiam rei, cujus est ultima determinatio, sed accidentalitate prædicabili quatenus differre facit individua, non specificè sed individualiter & citra essentiam. R. 2. Cum communi non esse intentionem Porphyrii sub hac divisione comprehendere differentiam individualem, quia ille solum agere intendebat de differentis quæ possunt universalitatem fundare, & de pluribus prædicari, differentia autem individualis cum hoc præstare non possit, ab assignata divisione excluditur.

Inflatur; Propria passio, verbi gratia risibilitas est differentia, facit enim unum ab alio differre, sed hæc non continetur sub hac divisione, ergo non est bene assignata adhuc. R. negando mi. quia est differentia propria, & ad illam etiam risibilitas proprie spectat.

Urgetur. Porphyrius dicit differentiam propriam suscipere magis & minus, sed propria passio non suscipit magis & minus, ergo non erit differentia propria, R. Porphyrium non voluisse omnem differentiam propriam suscipere magis & minus, sed tantum aliquas suscipere posse, & hoc patet inde, quia nec omnia accidentia sic suscipiunt, ut locus, figura, &c. & cum dixit esse inseparabilem per accidens, intelligit illam esse inseparabilem extra essentiam, quod proprie proprietatibus convenit. Quod si quaeras autem, ad quam differentiam reduci debeat genus, quod tam bene facit hominem, verbi gratia differre à lapide, sicut alia differentia faciunt differre ab aliis rebus, R. genus ad nullam differentiam reduci, quia illud non est differentia proprie dicta, de qua hic est sermo, sed valde improprie extendendo tam nomen, quam rationem differentie, unde quando facit differre hominem à lapide, non

III.
Arguetur
tunc in
traum.

non facit per quale quod est differentiae proprium, sed in quid: quia animal non praedicatur in quale, sed in quid.

IV. **DICO 2.** *Divisio haec non est alicujus univoci in univocata: sed analogi, in analogata.* Ita Doctor ipse q. 23. universal. & probatur cum eodem ex I. d. 29. q. unica. Quia ei quod est simpliciter tale, & ei quod est secundum quid tale, nihil potest esse commune univocum, sed differentia essentialis facit simpliciter differre, sicut constituit rem in esse simpliciter, accidentalis verò facit tantum differre secundum quid, sicut hoc modo tantum rem in esse constituit, ergò in communi ratione differentiae convenire nequeunt univocè, sed tantum analogicè. Confirmatur, Quia differentia essentialis verè contrahit genus, & cum eo unum per se constituit, accidentalis verò minime, quod enim per eam perficitur & determinatur, habet se per modum subiecti, non verò generis, ergò. Confirmatur secundò Quia nec omnes differentiae propriissimae conveniunt in aliquo conceptu communi univoco ipsis, quod tamen requiritur, ergò, probatur ant. quia sunt primò diversae, ergò.

Dices. Differentiae conveniunt in conceptu univoco, quòd omnes faciant differre, ergò ab ipsis potest aliquis conceptus communis abstrahi: R. dist. ant. in aliquo conceptu abstracto determinato importante realitatem aliquam nego ant. in conceptu aliquo confuso & minus clarè cognito, sine importatione alicujus realitatis, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; quemadmodum dixi supra de differentijs individualibus, ita hic quoq; est dicendum.

QUAESTIO IV.

De Differentia propriissima primò intentionaliter sumpta.

I. **Quoniam** Porphyrius in suis supra re-
latis quatuor definitionibus differentiae primò intentionaliter sumplit, particularia ejus muna tetigit & explicuit, quae nonnullas involvunt difficultates: idèd abs renon erit, de hisdem numeribus aliquid agere, quoniam nullus pro eis congruentior locus assignari potest. Primum itaq; munus differentiae est *dividere genus*, quod munus Porphyrius insinuavit per definitionem tertiam, dum dixit eam esse quae dividit ea, quae sub eodem genere collocantur: hinc controversitur & quaeritur, quomodo differentia dividat genus? Secundum munus differentiae est *ut eum genere constituat speciem*, quod Porphyrius per primam definitionem declaravit, dum dixit differentiam esse, quae species excedit genus, vel abundat genere, ut alii legunt, quia ut notat Doctor q. 27. universalium, sensus est ejus, differentia est quae cum genere constituit speciem ita quod ibi ponatur species, ut correlativum differentiae in quantum species est constituta & differentia constitutiva. Imò per quintam definitionem veluti prioris declarativam magis lucidè explicavit. Tertium tandem munus est, *ut differentia essentialiter distinguat speciem, quam constituit, ab alia*, quod munus Porphyrius per quartam definitionem proponit, dum inquit esse illam, quae differunt essentialiter inter se
F. Amandi Hermann Logica.

singula, unde hic quaeritur, an differentia includat in se genus quod dividit, & differentiam superiorem cui subordinatur, verbi gratia numerum rationale in suo conceptu includat animal, vel sensibile, si namq; includit, non poterit dici ratio differendi magis quam conveniendi, quòd si verò non incluserit tunc erit vera ratio differendi & per quartam definitionem bene explicatur hoc differentiae munus, quae omnia sigillatim examinabo, & particularibus decidam conclusionibus, hoc praenotato quòd nullibi mentio aut intentio sit aliquid dicendi de differentia, prout secundae subjacet intentioni, sed de primò intentionaliter capta quare.

DICO I. *Genus consideratum in statu realis existentiae dividitur à differentia divisione reali, non quidem illud in partes scindendo, sed determinando illud, in statu vero existentiae objectivae non nisi per intellectum.* Haec est Scotistarum communiter; Procius intelligentia notandū ex supra dictis disp. I. Genus considerari posse dupliciter, primò in statu realis existentiae eo modo, quo nunc & defacto in speciebus dispersum est; secundò in statu existentiae objectivae eo modo, quo à nobis concipitur ut totum quoddam positivè indifferens ad sua inferiora, quae sub se continet, verbi gratia quo concipitur indifferens ad rationalitatem & irrationalitatem. Quo praemisso,

II. *Quomodo differentia dividat genus.*

Probatur prima pars Conclusionis. Quia contractio generis per differentias in illo statu non est aliud, quam divisio & multiplicatio ipsius naturae genericae praecedens abstractionem omnem intellectus, sed haec contractio est realis & à parte rei, ergò & divisio est realis, intellige bene ly realis, quia non est eo modo quo unum continuum, verbi gratia unum lignum dividitur in plures partes integrantes, quia animalitas verbi gratia non habet rationem totius in ordine ad species à parte rei, sed potius partis materialis & contrahibilis, nec etiam dicitur dividi quasi una esset entitas realis ante adventum differentiae, & postea scindatur: & per ipsam amittit unitatem suam realem, quia non datur talis una natura in existens omnibus per indifferentiam; sed dicitur idèd dividi, quia una eademq; manens ita contrahitur per unam differentiam, ut distinctam ex principijs intrinsicis ei non repugnat contrahi per aliam, verbi gratia animalitas ex praecisa sua ratione tam bene per rationalitatem contrahitur, quam per brutalitatem.

Probatur etiam secunda pars.

Quia supponit naturam per intellectum abstractam, & consequenter supponit illam positivè unam per indifferentiam positivam, quatenus potens est proximè esse in inferioribus, sicq; per intellectum abstracta per eundem dividitur quatenus concipitur ut contrahibilis per differentias. Sed

DICES Contra primam partem: Tota essentia naturae, verbi gratia tota animalitas reperitur in homine, & etiam in equo, ergò non est divisa per differentias. R. quidquid sit de antecedente distinguendo consequens, non est divisa eo modo quo dividitur totum actuale, concedo
X 2

III.

concedo consequentiam, non est divisa Metaphysicè eo modo quo dividitur totum potentiale in suas partes subjectivas, nego consequentiam. Itaq; hoc nihil aliud est dicere, quàm quòd dentur plures naturæ animalis multiplicatae in speciebus, quæ omnes dicuntur una unitate indifferentiali, & hoc est quod communiter dicitur universale esse totum in quolibet inferiori totalitate essentiali, sed non totaliter, quia ab uno inferiori non desumitur totalitas ejus formalis: quia ut sit totum universale requiruntur inferiora multiplicata ad minus aptitudine. De secundo Differentiæ munere

IV.
Differentia
cum genere
verè compo-
nit speciem.

DICO 2. Differentia cum genere verè componit speciem Metaphysicè, non quidem ex re & re Physicè, sed ex realitate & realitate, ita quod non sit compositio mera rationis ex diversis conceptibus. Ita Scotus 2. d. 3. q. 16. & 1. d. 8. q. 3. Borgius, Lichetus, Zerbius, Fonseca, Molina & quotquot inter gradus Metaphysicos admittunt distinctionem formalem, Contra Nominales: qui sicut nulum admittunt universale, seu naturam communem, ita etiam omnem omnino compositionem negant, & Thomistas qui sicut non admittunt distinctionem formalem, & gradus Metaphysicos tantum distinguunt distinctione rationis ratiocinatae, ita etiam hic dicunt non esse aliam compositionem quàm rationis.

V.

Probatur Conclusio primò.

Ex omnibus illis principiis & rationibus, quibus probavi inter gradus Metaphysicos dari distinctionem formalem, ex quo sequitur: quòd si inter illos est aliqua distinctio, ergò etiam aliqua compositio, quia compositio dicitur esse distinctorum unio, ergò quæ ratione illa distinguuntur, eà etiam ratione componentur.

VI.

Probatur Conclusio secundò.

Illà est vera compositio, quæ datur in aliis à Deo, ipsiq; & ejus summæ simplicitati repugnat, sed compositio Metaphysica est talis, ergò illa erit vera & aliquomodo realis, & non præcisè rationis: quia hæc non tollit simplicitatem à parte rei, Confirmatur hæc ratio: Quia ad salvandam compositionem Metaphysicam in natura creata, non sufficit ipsam esse resolvablem in conceptum proprium & communem cum fundamento in re ab intellectu inadæquatè concipiente; Quia tunc Deus etiam esset Metaphysicè compositus, cum etiam ipse resolvi possit ab intellectu sic concipiente in conceptum communem & proprium, quia etiam Deus convenit cum creaturis in gradibus transcendentalibus entis, substantiæ, spiritus, viventis, quæ similitudo poterit esse fundamentum abstractionis talis.

Probatur Conclusio tertio.

Ad compositionem realem, prout contra distinguitur à compositione rationis, duo requiruntur: nempe ut componentia, vel realiter distinguantur ut contingit in Physicis, vel saltem quòd illa non sint perfecte eadem inter se, quòd tunc contingit, quando illa non ex suis rationibus identificantur, sed tantum in quantum uniantur tertio, cui realiter sunt idem: deinde requiritur quòd una pars ex componentibus debeat habere rationem potentia, & al-

tera rationem actus, sed istas duas conditiones & requisita habent conceptus generis & differentia, ergò inter ipsa vera intercedit compositio: major patet: probatur mi. Quia licet isti duo gradus non distinguantur realiter, quòd requirit compositio Physica, tamen identitas eorum non est ex rationibus formalibus, sed tantum ratione illius tertii in quo uniantur & identificantur ita ut tantum sint eadem inter se quatenus sunt realiter identificata tertio illi, à quo si abstrahantur non manet sufficiens ratio identitatis, unde non valet dicere animalitas est rationalitas, sed bene in homine animal est rationale: Deinde habent etiam conditionem secundam, quia secundum Aristot. 7. Met. 42. & 43. idè ex genere & differentia resultat species, per se una, quia gradus genericus habet rationem potentialis & contrahibilis: gradus autem differentialis rationem contrahentis & determinantis. Hæc pro duobus differentia muneribus explicandis dicta sufficiant ut ad tertium accedam & expediam, quamvis futius deberem: brevius facio, &

DICO 3. Genus non includit in conceptu suo formali differentiam inferiorem, nec etiam differentiam superiorem differentiam inferiorem. Hæc conclusio sicut & sequens deducuntur quoq; ex principiis de distinctione formali. Probatur tamen breviter; Quia potest quis habere perfectissimum conceptum generis & differentia superioris, verbi gratia animalis & sensitivitatibus nullo modo concipiendo rationalitatem, vel hominem, ergò nec genus, nec differentia superior includunt formaliter in suo conceptu inferiora: Consequentia patet: probatur aut perfectissimus conceptus animalis est, quòd sit substantia vivens, potens sentire, nec aliud requiritur ut concipiatur animal, sed talis conceptus habetur absq; eo, quòd concipiatur rationalitas: ergò &c.

DICO 4. Differentia inferior non includit in conceptu suo formali genus, aut differentiam superiorem. Hæc non modo est Doctoris, verum etiam ex Aristotele clarè deducitur 4. Top. cap. 2. & lib. 6. cap. 3. & 3. Met. 10. & lib. 11. cap. 1. in quibus locis diversimodè docet genus non esse de essentia differentiarum, ergò sequitur inde; ergò differentia non includit in se genus, si enim sensibile esset de ratione rationalitatis, etiam animal erit de essentia ejus. Probatur Conclusio, vel rationalitas, vel includit solum animal formaliter, vel includit aliquid aliud præterea, si solum animal, ergò homo nõ distinguitur à bruto per rationalitatem, & brutum tam bene habebit rationalitatem, quàm homo; si aliquid ulterius: quæro, utrum illud quod ulterius dicit, includat animal formaliter, si sic, rursus quaerendum est aliquid includat ultra animal, & sic dabitur processus in infinitum; si non, tunc dabitur status in aliquo quòd non includit animal, & hoc vocatur differentia contractiva animalis & quòd dicitur non includere animal formaliter, quòd est intentum. Deinde sequitur quòd rationalitas esset animal formaliter, quia sic non esset differentia animalis, quia animal non est differentia sui ipsius, ergò non includit illa formaliter. Deniq;

Deniq; Quia per rationalitatem formalitèr consideratam intelligitur id, per quod præcisè & formalitèr distinguitur à bruto, & reperitur in homine, sed per nihil quod includit animal ut ipsum includit, distinguitur homo præcisè à bruto, quia animal reperitur in bruto, ergò rationalitas non includit formalitèr animal, aut differentiam superiorem. Sed contra Conclusionem

Opponitur. 1. **Authoritas Aristotelis** pluribus in locis 7. Met. cap. 43. ubi ad differentiam tria requirit: Primum quòd in definitione parium referat utrum omnes differentie superiores ponantur, vel solum ultima: quia ultima includit omnes. Secundum differentiam esse totam rei substantiam adeoq; si hæc ponitur alia superaddi nequeunt, quia alias committeretur negatio. Tertium quod ad inveniendam aliquam differentiam ultimam alicujus speciei, debemus dividere superiorem per duas differentias oppositas. R. cum Doctore Aristotele ibi tantum assignare duplicem definiendi modum: per supremum scilicet genus, & omnes differentias, vel per proximam & ultimam differentiam, hic dicit quòd in definitione per genus proximum parium referat, licet non ponantur omnes alie differentie superiores: quia omnes includit genus proximum, non verò quòd differentia ultima eas includit, nisi solum materialitèr & identicè. Cum verò dicit differentiam esse totam speciei substantiam, intelligendus est Aristoteles, quod sit completive substantia, quia complet & determinat eam in ultimo esse specifico, non verò quòd sit totalitèr essentia. Tertium quoq; intelligendum est non quòd verè differentia superior dividatur per differentias inferiores oppositas propriè & formalitèr, sed materialitèr tantum & identicè, ratione generis quod constituit.

Arguitur 2. Rationalitas est substantia, ergò includit differentias superiores; probatur ant. quia non est accidens, ergò est substantia cum non detur medium. R. dist. ant. Est substantia identicè concedo, ant. formalitèr, nego ant. & similiter distinguo consequens, ergò includit identicè rationes superiores, concedo consequentiam; formalitèr nego consequentiam.

Infatur Hæc prædicatio est formalis & essentialis, ac per se; rationale est sensitivum, est animal, ergò & illa, ergò non identicè tan-

tum includit rationes superiores, sed etiam formalitèr, sed R. eodem modo quòd supra: scilicet illam prædicacionem veram esse in sensu identico, non verò in formali, id est, secundum præcisam & formalem inclusionem unius in altero.

Urgetur. Sequeretur quòd illæ prædicaciones essent prædicaciones per accidens, sed hoc est falsum, ergò: probatur sequela, quia inter prædicacionem per se & per accidens nulla alia mediat, sed dictæ prædicaciones non sunt per se, ergò sunt & erunt prædicaciones per accidens. R. dist. sequelam ma. sequeretur quòd illæ prædicaciones quibus animal & sensitivum prædicatur de rationali formalitèr sumpto, per accidens accidentalitate prædicabilitatis, concedo sequelam, accidentalitate prædicamenti, nego sequelam. Itaq; ly accidens potest duplicitèr sumi, vel pro accidente prædicamentali, vel pro accidente prædicabili, si primò modo sumatur tunc per accidens genus prædicatur de differentia, quia est extra rationem illius, non verò si sumatur secundò modo, quia tunc spectant ad idem prædicamentum. Adhuc **Arriaga.**

Arguit. Etiam contra Conclusionem nostram, & pugnat esse argumentum insolubile. Non potest concipi rugibile formalitèr, quin concipiatur sensibile & vivens, ergò differentie superiores includuntur formalitèr in inferioribus: ant. probatur. Quia rugitus Leonis est quedam formalis sensatio & actus vitalis, ergò non potest intelligi, quin intelligatur vita & sensibilitas. R. negando ant. ad cujus probationem dist. ant. Rugitus Leonis ut est quidam effectus formalis procedens à ratione formali rugibilitatis, est formalitèr sensatio, nego ant. ut est effectus totius speciei adæquatè concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; ex eo quòd rugitus non possit adæquatè intelligi sine sensatione, non plus inferitur, quam quòd sicut rugibile in concreto non potest intelligi sine sensibili, & rationale in concreto sine animali, sic rugitus in concreto importat etiam sensationem, cum rugitus non superaddat novam actionem supra sensationem, benè autem addat novam formalitatem à qua tanquam à principio formali procedat, hinc patet etiam ratio negatæ consequentiæ, quia relatio etiam non potest intelligi sine termino, & tamen terminus non includitur in ratione formali relationis.

XI. *Arguit Arriaga.*



DISPUTATIO V.

DE PROPRIO, QUARTO PRÆDICABILI.

QUÆSTIO I.

Quid sit Proprium, quartum Prædicabile.
Ante Resolutionem Notandum primò. Proprium duplicitèr sumi posse, primo modo prout opponitur illi quod dicitur im-

proprium & metaphoricum, unde illud est, quod alicui rei verè & absq; ulla metaphora convenit; secundo modo ut opponitur communi; & est illud, quod ita convenit alicui rei, ut alteri convenire non possit, sic dicitur quòd definitio sit propria definito, hinc videtur im-



plicare ut illud quod est proprium sit universale, quod tamen non sic se habet: nam sub ratione primæ intentionis & in quantum est speciei, vel generis dicitur, proprium non est universale, bene tamen si sub secunda intentione sumatur, & respectu inferiorum speciei, vel generis.

Proprium proprie acceptum Porphyrius quadrupliciter sumptis.

Notandum secundò. Porphyrium Proprium primò intentionalitèr sumptum quadruplicitèr accepisse, Primò modo proprium est illud quod convenit soli, id est alicui speciei, non tamen omni ejus individuo sub illa specie contento, ut verbi gratiâ homini soli competit esse Philosophum, Theologum, quod tamen non competit omnibus: nam plures sunt qui ad similes speculationes omnino sunt inhabiles. Secundò modò sumptis proprium pro eo quòd accidit omnibus individuis alicujus speciei, sed non soli illi speciei, ut hominem esse bipedem, quia etiam anas bipes est, unde dicitur quòd illud sit, quod omni, sed non soli convenit. Tertio modò accipitur ab eo, pro eo, quod accidit soli alicui speciei & omni individuo sub eo contento, sed non semper, ut hominem canescere. Quartò deniq; modò proprium accipitur pro eo quòd accidit omni, soli & semper ut homini esse risibilem; nam licet homo non semper rideat, quilibet tamen homo semper habet aptitudinem ad ridendum. His prænotatis quaritur, quod nam proprium ex datis quatuor acceptionibus possit fundare quartum prædicabile, quod primò mihi necessarium videtur decidere, antequam definitionem proprii, sive in esse proprii, sive in esse quarti prædicabilis tradam. Circa quam materiam tres inveniuntur opiniones: prima putat, quòd tres priores acceptiones verè & propriè pertineant ad hoc prædicabile, & hinc dicunt divisionem in quatuor præallegata membra esse divisionem univocam generis in species: & sic sentiunt Complutenses, Lovanienfes, Cajet. &c. Secunda Sententia asserit illa accidentia, quæ soli alicui speciei conveniunt etiamsi illi non semper conveniant, esse proprium spectans ad quartum prædicabile. Ita Arriaga, Fonseca, Rubius, &c. Tertia & communissima Sententia est, proprii quartò modò sumptum quartum fundare prædicabile; Ita sentiunt Porphyrius, Scotus D. Thomas &c. & est communis etiam aliorum, unde contra priores duas opiniones

Tres sunt opiniones.

II.

Prime tres acceptiones non constituunt proprium.

DICO I. Priores tres proprii acceptiones non constituunt quartum prædicabile proprii proprie & rigidius accepti. Hæc est contra priores duas opiniones & Probatur. Quartum prædicabile debet esse proprium, id est nulli alteri conveniens & necessariò connexum, sed nullum proprium ex prioribus acceptionibus est tale, ergò nullum ex illis fundat quartum prædicabile, major est communis & Aristotelis, dicentis proprium esse, quod soli inest, & conversim prædicatur, minor probatur, quia non primum, quia esse Philosophum, esse Theologum, est contingens & non necessarium, imò ab homine per infirmitates & alios casus plurimos separabile, ergò: Nec secundum, quia esse bipedem non habet necessariam connexionem cum subjecto, sed potest adesse, vel abesse sine subjecti corruptione; nec tertium, quia ridere actu verbi gratiâ non habet necessariam connexionem cum

homine, sicut nec canescere, quod supra pro exemplo adduxi, quia contingens est quòd homo canescat, & actu rideat, vel non canescat, aut non rideat, ergò à primo ad ultimum nullum proprium ex primis tribus acceptionibus constituit quartum prædicabile.

DIXI Notanter in conclusione proprii proprie & rigidius accepti, quia si quartus modus supra relatus sumatur in largiori acceptione, poterit etiam ad eum reduci secundus, in quantum scilicet secundus verbi gratiâ esse bipedem referatur non ad naturam humanam, sed ad illam naturam animalis, quæ communis est omnibus bipedibus, ut à quadrupedibus distinguantur: nam in ordine ad illam dicitur convenire soli & semper, sed hæc acceptio valde retortè, & per cruciatam ad quartum modum reducitur, idè videtur mihi quòd sit potius totalitèr excludendus iste modus accipiendi proprium, quamvis non negem commodè primum & tertium ad quartum facillè reduci posse, si isti duo modi accipiendi & intelligendi proprium intelligantur, non de actibus, sed de aptitudine ad actus; quia aptitudo quæ homo est aptus ad essendum Philosophum, Theologum, ad ridendum, est emanans ex natura, seu essentia hominis, dum modò hæc aptitudo emanet ab essentia & non emanet aliunde. Quia si aliunde hoc provenit ex varia humorum dispositione, alteratione, variatione naturarum, apprehensionum, tunc est accidens quintum prædicabile: nam, vel ob morbos, aut alia accidentia corrupti & interire possunt; Hoc tamen ita determino & sentio fieri posse, & sic acceptiones priores trahi valere, quamvis contrastrum teneat communis cum Porphyrio. Unde

DICES Cum Arriaga; Quod competit omni & soli, est verè proprium, sed esse Philosophum, ridere, omni & soli competit homini, ergò verè erit ipsi proprium, consequenter gratis excluditur primus & tertius modus accipiendi proprium. R. distinguendo ma. Quod competit omni & soli est proprium secundum quid, concedo ma. simpliciter & absolute nego ma. & distincta similiter minori nego utramq; consequentiam. Itaq; proprium duplicitèr accipi potest, primo modo simpliciter & absolute; estq; illud, quod convenit omni, soli, & semper, emanatq; intrinsecè ab essentia ejus, cujus est proprium. Secundò modo secundum quid, & est illud quod convenit omni, soli, sed non semper, nec emanat ab essentia ejus cujus est proprium, ut esse Philosophum, ridere actu. Sed Pro Arriaga

Instabis; Aristoteles dicit proprium verum I. Top. 4. esse, quod omni & soli alicui speciei convenit, licet non conveniat semper, ergò adhuc gratis excluduntur, probatur autem quia ibi citato loco sic habet; Nemo proprium alicui rei dixerit, quod alii convenire potest, ubi nullam facit mentionem quòd debeat convenire semper. R. negando ant. cujus antecedentis probationem dico esse infidelem, decurtatamq; textus allegationem, nam Aristoteles, ibi immediatè post verba citata subdit, Neq; si forsitan per aliquod tempus inest soli, unde etiam

etiam alios modos appellat ibi Aristoteles non simpliciter propria, sed aliquando vel ad ali-

denti quinti prædicabilis concedo, accidenti quarti prædicabilis, nego ant. & consequentiam.

DICES 2. Multa spectant ad quartum prædicabile, quæ non prædicantur necessario, loquendo de necessitate absoluta, ut verbi gratia nigredo in corvo, albedo in cygno, calor in igne, frigus in aqua. R. negando ant. cum suis exemplis: Illa enim sunt accidentia quinti prædicabilis, unde adverte cum Tartareto capde Proprio nec calorem in igne, nec frigus in aqua dimanare ab essentia dimanatione Metaphysica, de qua loquimur in proposito, sed dicuntur verius consequi naturaliter complexioni talium subjectorum, & esse accidentia quinti prædicabilis.

IX.

DICO 5. Proprium constituitur in esse universalis per ordinem ad individua speciei cuius dicitur esse proprium. Ita communis. Probat: Quia ut universalis rationem aliquid habeat, debet esse superius ad illa respectu quorum universale dicitur, sed proprium respectu speciei non est superius, ergo respectu speciei non potest esse universale, & consequenter debet esse respectu inferiorum speciei, quia nihil congruentius adferri potest; ma. patet probatur mi. quia cum specie dicitur ad convertentiam, & æq; late patet, estq; ei proprium, ergo.

X. Constituitur in esse universalis per ordinem ad inferiora speciei.

QUÆSTIO II.

An proprium sit separabile à natura divini.

Non est hic sermo de proprio in tribus prioribus acceptionibus sumpto, quia sic certum est quod possit à subjecto non divina, verum etiam naturali virtute separari, sed controversitur de proprio in quarta consideratione, quam controversiam excitat illa particula semper, quia enim asseritur quod semper ei convenire debeat in questionem vocatur, an hoc ita necessarium sit, ut nec divinitus separari possit? In qua materia triplex est sententia, Prima est D. Thomæ & suorum sequacium cum Egidio Romano & Cajetano, qui dicunt propriam passionem, seu proprium quarto modo sumptum realiter distingui à suo subjecto, & consequenter à suo subjecto separari posse saltem divinitus. Secunda sententia pro qua Mafius etiam D. Thomam citat, docet, quod aliqua passiones realiter distinguuntur & aliqua non, exemplum primarum est intellectus & voluntas respectu animæ; exemplum pro secundis est unum, bonum, verum, &c. respectu entis, quæ sola ratione distinguuntur, & sic divinitus ab ente separari non possunt, quamvis possit intellectus & voluntas, & sic dicunt quod homo possit dari sine intellectu. Tertia sententia dicit passiones à suis subjectis non distingui realiter, sed tantum formaliter, seu ex natura rei, & per consequens ens non posse à suis subjectis separari etiam per Dei potentiam absolutam, Illa Scotus & Scotista omnes, Gabriel, Gregorius, Mastrius, Durandus, Baro, & ipse Nominalium Princeps Occamus. Cum quibus etiam conformiter ad dicta superius

R.

Triplex est sententia.

II.

DICO. Proprium, seu propria passio Metaphysice emanans ab essentia non potest etiam per Dei potentiam absolutam separari à suo subjecto. Ita suo subjecto. Doctor

Nec divinitus separari potest à suo subjecto.

DICO 2. Solum proprium quarto modo sumptum potest fundare quartum prædicabile. Ita Scotus q. 31. universal. Aristoteles, Porphyrius &c. & communis contra paucos. Probat: Conclufio. Proprium quartum prædicandi ab aliis prædicabilibus, sed solum quarto modo sumptum habet diversum modum prædicandi, ergo solum illud potest fundare quartum prædicabile, quod in quarta acceptione sumitur; Probat: mi. Quia proprium primo, & tertio, & secundo modo sumptum habent eundem modum existendi & prædicandi, quem habet quintum prædicabile, ergo: probatur ant. quia potest adesse, vel abesse sine subjecti corruptione. Confirmatur: Quia illud solum habet omnes conditiones requisitas, ergo probatur; quia illud habet quod semper conveniat omnibus individuis & soli alicui speciei, ergo.

DICO 3. Proprium primo intentionaliter sumptum est illud, quod accidit soli speciei ac omni & semper. Ita communis cum Porphyrio, à qua non ab similem tradit etiam D. Augustinus cap. 10. Cath. dum dicit esse id accidens, quod in omni & solo invenitur: ut si hominem definire volens cap. 10. dicat risus capace esse, hoc & in solo est in omni: Et Patet Conclufio, quia sufficienter declarat naturam ejus prout ab aliis naturis communibus distinguitur, ergo: probatur ant. Quia per ly accidit convenit cum quinto prædicabili & distinguitur ab aliis prioribus, quia alia sunt intra essentiam, per ly accidit autem denotatur proprium non debere esse intra essentiam, secundo per omni & soli denotatur quod nulli alteri debeat convenire & cum illo cui convenit quod debeat habere necessariam connexionem: hinc definitio etiam proprium secundo intentionaliter sumptum &

DICO 4. Proprium secundo intensionaliter acceptum bene definitur quod sit illud quod est prædicabile de pluribus in quale accidentale necessario & intransmutabiliter. Est communis Scotistarum cum Doctore q. 31. universi. Probat: Conclufio: Quia omni & soli proprio convenit, ergo: probatur ant. quod omni, quia non est aliquid assignabile cui non competeret, ergo: quod etiam soli; Quia per ly prædicabile de pluribus convenit cum aliis prædicabilibus, per ly in quale, excluditur genus & species quæ prædicantur in quid, per ly accidentale, excluditur differentia, per ly necessario & inseparabiliter, distinguitur à quinto prædicabili quod separabiliter prædicatur ad minus separabilitate Logica.

DICES I. Prædicari in quale accidentale & necessario repugnat, ergo non potest eidem competere, ergo male definitur quartum prædicabile per utrumq; simul R. diff. aut. acci-

Doctor subtilis q. 33. univ. & 1. d. 3. q. 5. ad 2. pro opinio. 2. d. 17. q. 2. ad. 1. & d. 16. q. 1. §. Sed quia via & alibi.

Probatur Conclusio primò.

Si propria passio esset separabilis à subiecto suo, omnis propositio in qua prædicatur propria passio de subiecto esset contingens, sed in demonstratione propter quid in conclusione semper prædicatur propria passio de subiecto, ergò conclusio demonstrationis propter quid, seu à posteriori esset propositio contingens, verbi gratià homo est risibilis, imò posset esse falsaposito casu quod risibilitas actu separatur, ut est possibile secundum Adversarios.

Dices. Hanc conclusionem semper quidem futuram, & esse veram, homo est risibilis; non quidem formaliter, sed tantum radicaliter, quia maneret rationalitas quæ est radix risibilitatis. Contra primò. Quia hoc dicere non esset aliud, quam dicere solam illam præmissam demonstrationis quæ pertinet ad primum modum esse formaliter necessariam, conclusionem verò esse formaliter & in se contingentem, quod omnino dici non potest. Contra secundò. Quia si idem tantum est radicaliter vera, quia maneret rationalitas quæ est radix risibilitatis, tunc sequeretur quòd eodem modo se haberet quartum prædicabile sicut quintum, quod est in conveniens, probatur sequela. Quia si separatur albedo à cygno, & nigredo à corvo, vel æthiopo, sed cygnus naturaliter est inclinatus ad albedinem, & corvus dicit aptitudinem ad nigredinem sicut etiam æthiops radicaliter esset niger, ergò eodem modo se haberet accidens quintum prædicabile, sicut quartum; Imò sunt aliqua accidentia quæ si separantur à subiecto, non modò naturaliter inclinationem & aptitudinem ad subiecta dicunt, verum etiam si subiecta nature suæ relinquuntur, statim ad illa se reducunt, nam si aqua calefiat & relinquatur sine applicatione alicujus causæ conservantis, vel augmentis calorem, mox ad pristinum frigus se reducit ut patet. Et hæc responsio facit & anam præbet ut Conclusio

IV. Probatur secundò. Si Deus potest separare propriam passionem à subiecto, ergò nullum erit discrimen inter proprium quartum prædicabile & accidens commune inseparabile naturaliter, verbi gratià inter risibilitatem respectu hominis, & nigredinem respectu corvi & æthiops à quibus nigredo est inseparabilis naturaliter, probatur consequentia, Quia utriusq; connexio cum subiecto est eodem modo necessaria, videlicet secundum communem naturæ cursum, sed utrumq; per potentiam Dei absolutam potest à subiecto separari, ergò nullum esset discrimen, Nec valet dicere hominem mansurum radicaliter risibilem, quia ut supra deduxi etiam corvus & æthiops manent radicaliter nigri, adeoq; certum est nullum futurum discrimen.

V. **Dices.** Adhuc aliud esse discrimen, videlicet quòd si Deus separaret risibilitatem ab homine, quòd tunc homo esset risibilis secundum

propriam subiecti virtutem & naturalem facultatem, ita ut si homo sibi relinquatur, statim iterum risibilitas emanaret, quod non est de accidente quinti prædicabilis. Sed hæc responsio quoq; nulla est, quia non modò accidentia in separabilia naturaliter, verum etiam separabilia defacto, si subiecta sibi relinquuntur & non impediuntur à contraria aliqua potentia post factam despoliationem iterum se reducant ad pristina accidentia, ut patet de aqua calida, ergò hoc non est aliquod particulare discrimen.

Probatur Conclusio tertio.

VI. Intellectus est propria passio animæ rationalis, sed intellectus nec per divinam potentiam potest separari ab anima, ergò saltem in aliquo subiecto propria passio non potest separari, sed est eadem ratio de ista ac de omnibus aliis, ergò. Probatur: Quia si intellectus separaretur ab anima tunc illa anima posset esse & non esse rationalis, sed implicat animam esse & non esse rationalem, ergò: probatur sequela majoris, anima est rationalis per intellectum, ergò si intellectus separaretur erit rationalis ex supposito; & non erit: quia non habebit illud per quod est rationalis; ant, probatur: Quia anima est rationalis per id per quod potest ratiocinari & discurre, sed hoc potest per intellectum, ergò per intellectum est rationalis.

Dices; Animam non per intellectum, sed per suam differentiam essentialem esse rationalem, ergò non per intellectum. **R.** negando consequentiam, quia licet verum sit quòd sit rationalis per suam differentiam essentialem, tamen illam differentiam non habet sine intellectu, qui est solus principium sufficiens discurrendi & ratiocinandi.

Probatur Conclusio quarto.

VII. Cum Doctore supra. Implicat quòd causa necessaria possit poni sine suo effectu, sed essentia est causa necessaria proprietatis, ergò non potest separari ab invicem.

Dices Falsam esse majorem, quia aqua est causa frigoris, & tamen frigus potest separari ab aqua, ergò. Sed **R.** Aquam non esse sic necessariam causam frigoris sicut est rationalitas risibilitatis, Et quamvis etiam daretur esse causam necessariam, frigus tamen non potest ab aqua separari, nisi per introductionem alicujus formæ oppositæ, scilicet per calorem; in anima non potest autem introduci oppositum intellectus ut patet, & consequenter alia & alia est necessitas. Sed contra Conclusionem immediate sic.

IX. **Arguitur;** Omne prius in quantum prius est, per divinam potentiam saltem est separabile à posteriori suo, sed essentia & subiectum est prius sua passione, ergò potest saltem per Dei potentiam separari ab illo, major patet, minor est Aristotelis in post præd. cap. de Simul. 2. 1. dist. ma. Omne prius realiter distinctum potest separari à suo posteriori, concedo ma. omne prius formaliter tantum distinctum, nego ma. & similiter distincta mi. nego consequentiam. **R.** 2. dist. eandem ma. Omne prius in quantum prius & c. sub sensu reduplicativo,

cativo, concedo ma. sub sensu specificativo nego ma. Itaq; licet prius in quantum prius reduplicativè possit separari à posteriori, non potest tamen si consideretur secundum identitatem, quæ est actuale impedimentum separabilitatis; sic etiam in proposito: licet subiectum possit separari à proprietate in quantum prius est, non potest tamen in quantum proprietatis identificata est.

Instatur. Secundum Aristotelem priora naturâ etiam sunt illa, quæ possunt esse sine aliis, alia tamen non possunt esse sine ipsis, ut habet 5. Met. 1. Ergo si subiectum est prius propria passione non modo in sensu reduplicativo, sed etiam specificativo poterit esse sine ipsa 3. dist. ma. Priora naturâ sunt illa, quæ possunt esse sine aliis &c. si illa priora sint priora in essendo concedo ant. si sint tantum priora in intelligendo nego ma. & consequentiam. Itaq;

sicut jam supra dixi, duplex est prioritas; una in essendo, & altera in intelligendo: & per hoc explicatur, quod unum prius possit alio intelligi veluti tali quod non includitur in conceptu formali alterius, & de hac non loquitur Aristoteles, quam tamen solam habent subiectum & propria passio.

Urgetur. Prioritas causæ ad causatum est prioritas in essendo, & non in intelligendo tantum, sed hanc habent subiectum & passio, ergo habent veram proprietatem in essendo: probatur mi. quia subiectum est causa passionis, seu proprietatis. 3. dist. ma. & minoris probationis ant. est causa Physica nego ant. Metaphysica concedo ant. prioritas autem causæ ad causatum Metaphysica non est prioritas in essendo, sed tantum in intelligendo, bona tamen prioritas Physicæ causæ.



DISPUTATIO VI.

DE ACCIDENTE, QUINTO PRÆDICABILI.

Restat post explicationem reliquorum prædicabilium, nunc agere aliquid de accidente, quod nullo modo essentiam rei ingreditur, sed ad illa de quibus prædicatur merè contingenter habet, unde etiam posteriori loco reconditur, & breviter illud cum communis expeditam. sit igitur.

QUÆSTIO UNICA.

De Accidente, quinto Prædicabili.

Suppono hic cum communiori, Accidens quantum prædicabile verè tale esse, quidquid nonnulli Recentiorum post Græcos opinantur; tum quia sic sentit Doctor q. 34. univ. tum quia habet quidquid requiritur ad hoc ut sit universale, nam est prædicabile de pluribus prout sumitur in concreto, est etiam in pluribus subiectis, nam Petrus est albus, Paulus est albus, dixi notanter prout in concreto sumitur: quia si sumatur in abstracto non prædicabitur prædicatione quinti prædicabilis, scilicet contingenter; sed de suis inferioribus prædicabitur essentialitèr, ut hæc albedo est albedo, hæc albedo est disgregativa visus &c. Itaq; in præsentiarum tria examino, videlicet: An Porphyrius benè definiverit accidens, secundò quibus naturis competat esse accidens, quantum prædicabile, & tertio, respectu quorum accidens habeat rationem universalis? Quantum ad primum attinet Porphyrius triplicem accidentis dedit definitionem; Prima est, quod accidens sit illud quod potest adesse, vel abesse sine subiecti corruptione; Secunda, Accidens est quod contingit eidem inesse & non inesse; Tertia, Accidens est quod nec est genus, nec species, nec differentia, nec proprium, inest autem subiecto, quæ posterior cum solummodo negativè rem explicet & definiat, per illud quid non sit, & non quid sit, ordinariè in Scholis non recipitur; Dux ergo priores invicem coincidentes communiores sunt, quæ etiam tam primò quàm secundò intentionalitèr sumpto accidenti applicari possunt, ita ut primò intentionalitèr sumpti sensus sit, quod possit re-

litèr conjungi & separari, secundò intentionalitèr sumpti ut sensus sit, quod possit contingenter de pluribus prædicari, in quibus sensibus omninò bonæ essens, nec in aliquam quæstionem & controversiam vocari possent, attamen.

DICO I. Benè definitur illa definitione primâ accidens secundò intentionalitèr sumptum, etiam in ratione universalis saltem implicite. Ita Doctor q. 34. univ. Probatur, vel potius explicatur; Quia per potest adesse, vel abesse non intelligitur, potest inhaerere, vel non inhaerere, afficere, vel non afficere, sed intelligitur, quod possit affirmari, vel negari; & dum dicitur præter subiecti corruptionem, per subiectum non intelligitur subiectum inhaesionis, sed subiectum prædicationis, ita ut sensus totius definitionis sit iste, accidens est quod potest affirmari, vel negari de aliquo subiecto, ita ut affirmatio, vel negatio nihil deroget subiecti Essentiæ, sic Petrus, sive dicatur albus, sive niger, semper tamen manebit in ipso eadem essentia. Quod autem etiam in ratione universalis definiatur, patet, quia per hoc quod potest adesse, vel abesse sine subiecti corruptione, hoc est, prædicari affirmativè, vel negativè subintelligitur de pluribus cum sui multiplicatione, saltem implicite, & sic habebit rationem generis, quia per hoc conveniet cum aliis prædicabilibus, per illud verò quod dicitur quod possit affirmari, vel negari differt ab omnibus aliis, quæ non sic contingenter, sed necessaridè conveniunt suis inferioribus de quibus prædicantur, ut patet ex dictis.

Quamvis autem hæc definitio sic intellecta sit bona & communis, claritèr tamen definiatur dicendo; Quod accidens secundò

II. Prima est bona.

III.

Y iatca-

F. Amandi Hermann Logica.

intentionaliter sumptum sit illud, quod potest de pluribus prædicari contingentèr, & Accidens primò intentionaliter sumptum quod convenit subjecto omninò contingentèr, unde felige tibi cam, quæ magis placet. Sed in Contra

IV.
Argumen-
tum in con-
trarium

Arguitur: Mors, conflagratio, & calor in summo sunt accidentia de quibus hic agitur, sed ista non possunt adesse sine subjecti corruptione, ergò malè definitur accidens quòd sit illud quod potest adesse, vel abesse, sine subjecti corruptione: major est omnium, minor probatur: quia mors corrumpit animal, conflagratio lignum, calor summus aquam, ergò. Ad hanc objectionem multi multipliciter respondent, Pontius distinguit minorem: quando adsunt corrumpunt quoad existentiam concedit, quoad essentiam negat; Verùm tamen videtur etiam, quoad essentiam destruere, nam essentia animalis est esse vivens sensitivum, sed quando mors prædicatur tollitur ab eo hoc prædicatum essentiale, ergò etiam quoad essentiam corrumpit. Arriaga dicit mortem non esse (eadem est ratio de cæteris) accidens in hæsiōnis, quòd inhæreat animali; cum illi potius opponatur privativè, sicut tenebræ non possunt dici accidens lucis, sed potius ejus contrarium. Verùm melius Respondetur negando mi. & suppositum probationis ejus, videlicet, quòd mors sit in animali, conflagratio in ligno, calor summus in aqua veluti in suis subjectis; Quia mors non est in homine veluti in subjecto, sed est in materia & corpore organico, quia mors est privatio animæ, adeoq; idem subjectum habebit, quòd anima habuit scilicet materiam, vel corpus. Idem die de ligno respectu ignis, quia lignum non ardet, sive habet formam ignis, quia ligni forma per ignem est expulsa, similiter nullus calor summus est in aqua, quia quando adest summus calor, non est ibi aqua; Confirmatur hæc responsio: Quia si mors esset in homine (idem dicito de aliis) tunc homo morte non moreretur, quia si mors subjectatur in homine debet saltem pro aliquo instanti mors esse in eo, & existere non obstante ipsius morte, sed hoc est plusquam falsum, quia sic si pro uno instanti simul esse possint, nihil implicat, quin etiam pro tota æternitate sint simul.

Instatur: Defitio hominis non potest intelligi adesse sine corruptione ejus. Sed defitio est accidens ei, ergò aliquod accidens non potest adesse sine subjecti corruptione. R. negando mi. quia quando defitio est, non est homo, quia homo definit per primum sui non esse, & tunc non est; sed immediatè antea fuit; Itaq; non est instans aliquid medium inter esse & non esse, quod esset mensura defitionis ejus.

Urgetur: Licet homo definat instantaneè & intrinsicè sunt tamen adhuc alia quæ non sic definiunt, sed successivè, ergò inter illa debet adhuc dari medium inter esse & non esse, quod est tempus defitionis: probatur. ant. quia motus, tempus &c. sunt talia successiva, ergò dantur aliqua, quæ non definiunt instantaneè, & consequentèr dantur aliqua accidentia quæ

non possunt adesse sine subjecti corruptione. R. negando ant. Quia licet videantur definire successivè, revera tamen non definiunt sic: quia pars successivi quæ definit in tempore, non habet esse illo tempore quo definit, adeoq; verè non adest ei defitio, quia ut adesset, deberet utrumq; adesse, id est, pars & defitio simul quòd tamen non contingit. Congerant aliqui plures alias objectiones contra datam conclusionem, verùm tamen non videntur esse tanti momenti, quin ex dictis non facilè possit erui solutio, unde ad secundum, quod in hac quæstione examinandum est.

Dico 2. *Accidens quintum prædicabile non constituitur in esse talis per ordinem ad sua inferiora, sed per ordinem ad subjecta de quibus prædicatur contingentèr.* Est communis.

Probatur prima pars. Quia respectu illorum inferiorum se habet per modum generis, vel per modum speciei, verbi gratià albedo respectu hujus & illius albedinis, & color, respectu nigredinis & albedinis habet se per modum generis, ergò per ordinem ad inferiora illa non habet rationem quinti prædicabilis, quod debet merè contingentèr & non essentialitèr prædicari.

Probatur secunda pars. Quia ut est quintum prædicabile debet posse prædicari contingentèr, sed per ordinem ad subjecta potest sic prædicari contingentèr, ergò per ordinem ad illa constituetur in esse universalis quinti.

Dices. Universale debet posse prædicari de suis inferioribus antequam existant, sed accidens non potest prædicari de subjectis quibus contingentèr inexistit, nisi existant: ergò respectu illorum non est universale. R. dist. ma. Universale quod contingentèr prædicatur nego ant. quod necessariò prædicatur concedo ma. & concessa mi. nego consequentiam, disparitas autem illa oritur ex necessaria connexionne, quæ est inter hæc, & non necessaria, quæ est inter illa.

Dico 3. *Accidens potest constitui in esse quinti prædicabilis non modo ad subjecta numero distincta, sed etiam distincta specie.* Hanc dicit Mastrus esse cum communi. Probatur: Quia dantur accidentia quædam, quæ non solum communia sunt pluribus individuis, sed etiam pluribus speciebus de quibus omnibus prædicantur modo diverso, ab omnibus aliis prædicabilibus; & eodem modo de illis, scilicet in quale accidentale contingentèr, & transmutabiliter, ergò non solum per ordinem ad subjecta numero distincta, verum etiam ad distincta specie potest constitui in esse universalis: probatur ant. Quia album est commune quid prædicabile, de Cygno, lacte, & nive, ergò.

Dices. Individua sunt propria accidentium subjectiva, non verò species, ergò de solis individuis prædicari poterit. R. dist. Individua sunt accidentium subjecta in hæsiōnis, concedo ant. prædicationis accidentalis nego ant. & consequentiam. Itaq; sufficit esse subjectum prædicationis speciem ut sit subiectibile hujus quinti

quinti prædicabilis. Et si dicas non posse autem prædicari immediatè de specie, sed mediante individuo: atq; adeò non posse habere rationem universalem respectu illarum, & non requiri immediatam prædicationem ad rationem universalem. Sed pro tertio dubio.

DICO 4. Universalitatem accidentis fundari posse supra quocumq; prædicatum contingentèr adveniens alteri, sive illud sit accidens, sive substantia. Ita Doctor 3. d. 7. q. 1. D. Thomas, Lichetus, Mastrius &c. contra Burleum, Toletum, Amicum &c. opinantes non posse fundari nisi supra accidens commune. Probatur Conclusio. Quia numerus prædicabilium non sumitur ex varietate, & multiplicitate rerum, sed ex diversitate modi quo prædicatum aliquod convenit subjecto, sed multa prædicata substantia possunt alteri contingentèr convenire non minus quam ipsa accidentia, ergò prædicata substantia fundare poterunt universalitatem quinti prædicabilis, ma. patet ex dictis, probatur minor, Quia forma substantialis non prædicatur in quid de materia, sed in quale separabiliter & denominativè, materia etenim dicitur informata, corpus animatum, homo vestitus à vestibus, vas deauratum ab auro, sed hæc prædicationes sunt contingentès & quidem separabiliter, nec ad ullum aliud prædicatum reduci possunt, quàm ad hoc ultimum. Confirmatur: Quia hic definitur accidens prædicabile, non verò prædicamentale, ergò cum substan-

tia possit prædicari contingentèr & per modum accidentis, poterit ipsi applicari ratio universalis accidentis. Sed Incontra

Arguitur; Quod verè est, nulli accidit, ex 1. Physicorum, sed substantia verè est, ergò nulli accidit, ergò: nullò modò prædicabitur accidentaliter. 2. dist. ma. nulli accidit Metaphysicè & inherenter transeat ma. nulli accidit Logicè & per prædicationem, nego ma. & concessa mi. dist. primum consequens nulli accidit Metaphysicè concedo, Logicè nego consequentiam, hanc & etiam secundam.

Instatur. Modus prædicandi sequitur modum inessendi, sed substantia & accidens differunt in modo essendi, ergò etiam in modo prædicandi. 2. dist. ma. sequitur modum essendi simpliciter ut res est in se sine respicientia ad aliud, nego ma. cum respicientia ad aliud concedo ma. similiter dist. minorem, differunt in modo essendi simpliciter ut sunt in se concedo mi. ut respiciunt subjecta quibus insunt, vel per modum informationis, vel per modum inhaesionis nego mi. Quia sic substantia & accidens conveniunt, quia ambo contingentèr insunt suis subjectis, ut patet ex probatione conclusionis, & nego consequentiam universaliter, scilicet quòd semper debeant differre in modo prædicandi.

IX!

